S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI OPUSCULA

DE UTILITATE CREDENDI, DE FIDE RERUM QUAE NON VIDENTUR, DE FIDE ET SYMBOLO.

ACCEDIT

S. THOMAE AQUINATIS

IN SYMBOLUM APOSTOLORUM EXPOSITIO.

LONDINI
apud David Nutt.

PARISIIS
apud P. Lethielleux.

MEDIOLANI
apud Boniardi-Pogliani.

NEO-EBORACI ET CINCINNATI
Fr. Pustet.

OENIPONTI. TYPIS WAGNERIANIS.

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR:

S. AUR. AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE UTILITATE CREDENDI
AD HONORATUM
LIBER UNUS[1]

CAPUT I.

Operis argumentum. Manichaeorum pollicitationes vanae, quibus animos veri cupidos decipiebant.

1. Si mihi Honorate, unum atque idem videretur esse haereticus et credens haereticis homo, tam lingua quam stilo in hac causa conquiescendum mihi esse arbitrarer. Nunc

[1]) „Apud Hipponem-regium, ita s. Augustinus retract. l. 1 c. 14. n. 1, scripsi librum *de utilitate credendi* ad amicum meum, quem deceptum a manichaeis adhuc eo errore noveram detineri et irridere in catholicae fidei disciplina, quod juberentur homines credere, non autem quid esset verum certissima ratione docerentur.“ Cum vero s. doctor librum hunc inter eos, quos edidit presbyteratus sui tempore, primum recenseat,

vero cum inter hæc duo plurimum intersit: quandoquidem haereticus est, ut mea fert opinio, qui alicujus temporalis commodi, et maxime gloriae principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur; ille autem qui hujusmodi hominibus credit, homo est imaginatione quadam veritatis ac pietatis illusus: cum haec ergo ita sint, non putavi apud te silendum esse,

---

hanc autem dignitatem susceperit sub initium anni 391. liquet eum scriptum esse c. a. 391. In eo ostendit Honorato, qui ab haereticis magis deceptus fuit quam haereticus, manichaeos sacrilege ac temere in eos invehi, qui catholicae fidei auctoritatem sequuntur antequam illud verum, quod pura mente conspicitur, intueri queant, cum „vera religio, nisi credantur ea, quae quisque postea, si se bene gesserit dignusque fuerit, assequatur atque percipiat omnino sine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto possit.“ Id autem sic praestat in hoc opere ut veteris quoque Testamenti, cujus illi maxime reprehensione commovebant imperitos, patrocinium suscipiat. Secundum nonnullos Augustini labori studioque optatus respondit eventus, si nimirum Honoratus hic idem est cum illo, qui c. a. 411 ab urbe Carthagine ad Augustinum scribebat varias illi quaestiones enodandas proponens, et cui s. doctor prolixa ep. 140. respondet. Ceterum et de alterius cujusdam Honorati presbyteri morte loquitur Augustinus ep. 83; et sub finem vitae ad episcopum Thabennensem ejusdem nominis scripsit ep. 228.

quid mihi de invenienda ac retinenda veritate videatur; cujus, ut scis, ab ineunte adolescentia magno amore flagravimus. Sed res est longe remota a vanorum hominum mentibus, qui nimis in haec corporalia progressi atque lapsi, nihil aliud putant esse, quam quod istis quinque notissimis nunciis corporis sentiunt; et quas ab his plagas atque imagines acceperunt, eas secum volvunt, etiam cum conantur recedere a sensibus; et ex earum mortifera et fallacissima regula ineffabilia penetralia veritatis rectissime se metiri putant. Nihil est facilius, mi carissime, quam non solum se dicere, sed etiam opinari verum invenisse: sed quam reipsa difficillimum sit, agnosces, ut confido, his literis meis. Quae ut tibi prosint, aut certe nihil obsint, omnibusque omnino quorum in manus forte devenerint, et rogavi Deum, et rogo; et spero ita fore si bene mihi conscius sum, quod ad hunc stilum pio et officioso animo, non vani nominis appetitione ac nugatoriae ostentationis accessi.

2. Est igitur mihi propositum, ut probem tibi, si possim, quod manichaei sacrilege ac temere invehantur in eos, qui catholicae fidei auctoritatem sequentes, antequam illud verum quod pura mente conspicitur, intueri

queant, credendo praemuniuntur et illuminaturo praeparantur Deo. Nosti enim, Honorate, non aliam ob causam nos in tales homines incidisse, nisi quod se dicebant, terribili auctoritate separata, mera et simplici ratione eos qui se audire vellent, introducturos ad Deum, et errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat, annos fere novem spreta religione, quae mihi puerulo a parentibus insita erat, homines illos sequi ac diligenter audire, nisi quod nos superstitione terreri et fidem nobis ante rationem imperari dicerent; se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa et enodata veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, praesertim adolescentis animus cupidus veri, etiam nonnullorum in schola doctorum hominum disputationibus superbus et garrulus: qualem me tunc illi invenerunt, spernentem scilicet quasi aniles fabulas, et ab eis promissum, apertum et sincerum verum tenere atque haurire cupientem? Sed quae rursum ratio revocabat, ne apud eos penitus haererem, ut me in illo gradu, quem vocant auditorum, tenerem, ut hujus mundi spem atque negotia non dimitterem; nisi quod ipsos quoque animadvertebam plus in refellendis aliis disertos et copiosos esse quam in suis

probandis firmos et certos manere? Sed de me quid dicam, qui jam catholicus christianus eram? quae nunc ubera post longissimam sitim pene exhaustus atque aridus tota aviditate repetivi, eaque altius flens et gemens concussi et expressi, ut id manaret, quod mihi sic affecto ad recreationem satis esse posset et ad spem reducendam vitae ac salutis. Quid ergo de me ipso dicam? Tu nondum christianus, qui hortatu meo, cum eos vehementer exsecrareris, vix adductus es, ut audiendi tibi atque explorandi viderentur, qua quaeso alia re delectatus es, recordare obsecro te, nisi magna quadam praesumptione ac pollicitatione rationum? Sed quia diu multumque de imperitorum erroribus latissime ac vehementissime disputabant, quod cuivis mediocriter erudito esse facillimum, sero didici: si quid etiam suorum nobis inserebant, necessitate retinendum, cum alia non occurrerent, in quibus acquiesceremus, arbitrabamur. Itaque nobis faciebant, quod insidiosi aucupes solent, qui viscatos surculos propter aquam defigunt, ut sitientes aves decipiant. Obruunt enim, et quoquo modo cooperiunt alias, quae circa sunt aquas, vel inde etiam formidolosis molitionibus deterrent ut in eorum dolos non electione, sed inopia decidant.

3. Sed cur non ipse mihi respondeo, quod istae lautae ac lepidae similitudines atque hujusmodi reprehensiones in omnes, qui aliquid docent, a quovis adversario effundi urbanissime ac dicacissime possunt? Sed ob hoc putavi aliquid tale inserendum literis meis, ut eos admoneam, desinant talibus agere: ut quemadmodum ille [1]) ait, separatis nugis locorum communium, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione confligat. Quare desinant dicere illud, quod in ore habent quasi necessarium, cum eos quisque deseruerit, qui diutius audisset: *Lumen per illum transitum fecit.* Vides enim tu mea maxima cura (nam de illis non nimis aestuo) quam hoc inane et facillimum ad reprehendendum cuivis esse possit. Itaque hoc discutiendum dimitto prudentiae tuae. Non enim vereor, ne me arbitreris inhabitatum lumine, cum vitae hujus mundi eram implicatus, tenebrosam spem gerens de pulchritudine uxoris, de pompa divitiarum, de inanitate honorum, ceterisque noxiis et perniciosis voluptatibus. Haec enim omnia, quod te non latet, cùm studiosè illos audirem, cupere et sperare non desistebam. Neque

[1]) I. e. Cicero.

hoc eorum doctrinae tribuo; fateor enim et illos sedulo monere, ut ista caveantur. Sed modo me dicere desertum lumine cum ab his omnibus umbris rerum me averterim, soloque victu ad valetudinem corporis necessario contentus esse decreverim; illustratum autem atque fulgentem fuisse, cum ista diligerem et his involutus tenerer, hominis est, ut mitissime dicam, minus acute considerantis res, de quibus loqui multum amat. Sed veniamus ad causam, si placet.

CAPUT II.

Manichaei V. T. reprehendunt apud imperitos. Sincere se disputaturum s. doctor promittit.

4. Nam bene nosti quod reprehendentes manichaei catholicam fidem et maxime vetus Testamentum discerpentes et dilaniantes commovent imperitos: qui profecto nesciunt, quatenus sint accipienda illa et quemadmodum hausta utiliter in venas quasi vagientium adhuc animarum medullasque descendant. Et quia sunt ibi quaedam, quae suboffendant animos ignaros et negligentes sui quae maxima turba est, populariter accusari possunt: defendi autem populariter propter mysteria, quae his continentur, non

a multis admodum possunt. Qui vero pauci hoc facere noverunt, non amant propatula et famigerula quaedam in disputatione certamina et ob hoc minime noti sunt nisi his, qui eos instantissime requirunt. De hac igitur manichaeorum temeritate, qua vetus Testamentum et catholicam fidem reprehendunt, accipe, obsecro, quae me moveant. Opto autem ac spero te hoc animo accepturum, quo a me dicuntur. Scit autem Deus, cui nota sunt arcana conscientiae meae, nihil me in hoc sermone malitiose agere; sed ut existimo accipiendum esse, veri probandi causa, cui uni rei vivere jam diu statuimus et incredibili sollicitudine: ne mihi errare vobiscum facillimum fuerit, iter autem rectum tenere vobiscum sit, ne durius loquar, difficillimum. Sed praesumo quod et in hac spe, qua spero vos viam sapientiae mecum obtenturos, non me deseret ille cui sacratus sum; quem dies noctesque intueri conor; et quoniam propter peccata mea propterque consuetudinem plagis veternosarum opinionum sauciatum oculum animae gerens, invalidum me esse cognosco, saepe rogo cum lacrymis. Et quemadmodum post longam caecitatem ac tenebras luminibus vix apertis, et adhuc lucem palpitando atque aversando, quam

tamen desiderant, recusantibus, praesertim si eis solem istum quispiam conetur ostendere: ita mihi nunc evenit non neganti esse ineffabile quiddam et singulare animae bonum quod mente videatur, et me ad contemplandum nondum esse idoneum cum fletu et gemitu confitenti. Non me ergo deseret, si nihil fingo, si officio ducor, si veritatem amo, si amicitiam diligo, si multum metuo ne fallaris.

CAPUT III.

Quadruplex Scripturas V. T. tractandi ratio secundum historiam, aetiologiam, analogiam et allegoriam.

5. Omnis igitur Scriptura, quae Testamentum vetus vocatur, diligenter eam nosse cupientibus quadrifaria traditur, secundum historiam, secundum aetiologiam, secundum analogiam, secundum allegoriam. Ne me ineptum putes, graecis nominibus utentem. Primum quia sic accepi, nec tibi hoc aliter audeo intimare quam accepi. Deinde tu quoque animadvertis, non esse harum rerum apud nos usitata nomina; quae si fabricassem interpretando, essem profecto ineptior; si autem circumloquerer, minus essem in disserendo expeditus. Id tantum oro credas, quoquo modo errem, nihil a me inflato ac tu-

mido fieri. Secundum historiam ergo traditur, cum docetur, quid scriptum, aut quid gestum sit; quid non gestum, sed tantummodo scriptum quasi gestum sit. Secundum aetiologiam, cum ostenditur, quid qua de causa vel factum vel dictum sit. Secundum analogiam, cum demonstratur non sibi adversari duo Testamenta vetus et novum. Secundum allegoriam, cum docetur non ad literam esse accipienda quaedam quae scripta sunt, sed figurate intelligenda.

6. His omnibus modis Dominus noster Jesus Christus et apostoli usi sunt. Nam de historia illud sumptum est, cum objectum esset, quod die sabbati discipuli ejus spicas evulsissent: *Non legistis,* inquit, *quod fecit David, cum esuriret, et qui cum eo erant, quomodo intravit in domum Dei et panes propositionis manducavit, quos non licebat ei manducare neque eis, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus* (Matth. 12, 3, 4)? Ad aetiologiam vero illud pertinet, quod cum Christus prohibuisset uxorem abjici, nisi fornicationis causa, relatumque esset ab interrogantibus, Moysen libello dato repudii permisisse licentiam: *Hoc,* inquit, *Moyses fecit propter duritiam cordis vestri* (Matth. 19, 8). Hic enim causa reddita est, cur illud

a Moyse pro tempore bene permissum sit; ut hoc quod Christus praecipiebat, alia jam tempora demonstrare videretur. Horum autem temporum vices atque ordinem mira quadam divinae providentiae dispositione digestum atque compositum, longum est explanare.

7. Jam porro analogiam, qua utriusque Testamenti congruentia perspicitur, quid ego dicam usos fuisse omnes, quorum auctoritati illi cedunt: cum secum ipsi considerare possint, quam multa soleant dicere immissa esse Scripturis divinis a nescio quibus corruptoribus veritatis? Quae vox mihi semper quidem etiam cum eos audirem, invalidissima visa est: nec mihi soli, sed etiam tibi (nam bene memini) et nobis omnibus, qui paulo majorem diligentiam in judicando habere conabamur, quam turba credentium. Nunc vero posteaquam mihi sunt exposita atque enodata multa, quae me maxime movebant, ea scilicet in quibus illorum plerumque se jactat, et quo securius sine adversario, eo effusius exsultat oratio; nihil mihi videtur ab eis impudentius dici vel, ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam Scripturas divinas esse corruptas, cum id nullis in tam recenti memoria exstantibus

exemplaribus possint convincere. Si enim dicerent, eas sibi penitus accipiendas non putasse, quod ab his essent conscriptae, quos verum scripsisse non arbitrarentur, esset utcumque tergiversatio eorum rectior, vel error humanior. Hoc enim de illo libro fecerunt, qui actus apostolorum inscribitur. Quod eorum consilium, cum mecum ipse pertracto, nequeo satis mirari. Non enim sapientiam hominum in hac re, sed cor mediocre desidero. Tanta enim liber iste habet, quae similia sint his quae accipiunt, ut magnae stultitiae mihi videatur, non et hunc accipere, et si quid ibi eos offendit, falsum atque immissum dicere. Aut si talis oratio impudens est, sicuti est, cur in Pauli epistolis, cur in quatuor Evangelii libris ea valere aliquid putant, in quibus haud scio an multo plura sint proportione, quam in illo libro esse potuerunt, quae a corruptoribus interjecta credi volunt? Sed nimirum illud est quod mihi videtur, quod peto placidissimo et serenissimo judicio mecum consideres. Nosti enim, quod auctoris sui Manichaei personam in apostolorum numerum inducere molientes, dicunt Spiritum sanctum, quem Dominus discipulis se missurum esse promisit, per ipsum ad nos venisse. Itaque

si illos actus apostolorum acciperent in quibus evidenter adventus sancti Spiritus praedicatur (Act. 2, 2), non invenirent quomodo id immissum esse dicerent. Volunt enim nescio quos corruptores divinorum librorum ante ipsius Manichaei tempora fuisse: corrupisse autem illos, qui judaeorum legem Evangelio miscere cupiebant. Hoc autem de Spiritu sancto dicere nequeunt, nisi forte divinasse illos asserant, et posuisse in suis libris quod contra futurum aliquando Manichaeum, qui Spiritum sanctum per se missum esse diceret, proferretur. Verum de Spiritu sancto alias planius aliquid eloquemur. Nunc ad hoc quod intenderam redeamus.

8. Nam et historiam veteris Testamenti, et aetiologiam et analogiam in novo Testamento inveniri, satis, ut puto, est demonstratum; de allegoria restat ostendere. Ipse liberator noster in Evangelio allegoria utitur ex vetere Testamento: *Generatio*, inquit, *haec signum quaerit et non dabitur ei nisi signum Jonae prophetae; sicut enim Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus fuit, sic et Filius hominis tribus diebus et tribus noctibus erit in corde terrae* (Matth. 12, 39, 40). Nam quid ego de apostolo Paulo dicam? qui etiam ipsam

Exodi historiam futurae christianae plebis allegoriam fuisse significat ad Corinthios epistola prima: *Nolo autem vos ignorare, fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Moysen baptizati sunt in nube et in mari: et omnes eundem cibum spiritalem manducaverunt et omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant enim de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus.* [c] *Sed non in pluribus eorum complacuit Deo: prostrati enim sunt in deserto. Haec autem figurae nostrae fuerunt, ut non simus cupidi malorum sicut et illi concupierunt. Neque idola colamus, sicut quidam ex illis, sicut scriptum est: Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere. Neque fornicemur, sicut quidam ex illis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia hominum. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus interierunt. Neque murmuremus, sicut quidam ex illis murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore. Omnia autem ista in figura contingebant illis. Scripta autem sunt ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt* (1 Cor.

10, 1, ss). Est item apud Apostolum allegoria quaedam, sane ad causam maxime pertinens ideo, quod ipsi eam in disputando proferre atque ostentare consuerunt. Idem enim Paulus dicit ad Galatas: *Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera: sed is quidem qui de ancilla, secundum carnem natus est, qui autem de libera, per promissionem: quae sunt per allegoriam dicta. Nam haec sunt duo Testamenta, unum quidem de monte Sina in servitutem generans, quod est Agar. Sina enim mons est in Arabia, qui confinis ei quae nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. Quae autem sursum est Jerusalem, libera est, quae est mater omnium nostrum* (Galat. 4, 22, ss).

9. Hic igitur illi homines nimium mali, dum frustrare legem conantur, eas Scripturas approbare nos cogunt. Attendunt enim quod dictum est, in servitute esse eos qui sub lege sunt, et id ultimum prae ceteris ventilant: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis* (Ib 5, 4). Nos haec omnia vera esse concedimus, nec illam legem necessariam esse dicimus nisi eis, quibus est adhuc utilis servitus:

ideoque utiliter esse latam, quod homines, qui revocari a peccatis ratione non poterant, tali lege coërcendi erant, poenarum scilicet istarum, quae videri ab stultis possunt, minis atque terroribus: a quibus gratia Christi cum liberat, non legem illam damnat, sed aliquando nos obtemperare suae caritati, non servire timori legis, invitat. Ipsa est gratia id est beneficium, quod non intelligunt sibi venisse divinitus, qui adhuc esse cupiunt sub vinculis legis. Quos merito Paulus objurgat tamquam infideles, quia a servitute, cui certo tempore justissima Dei dispositione subjecti erant, jam per Dominum nostrum Jesum se liberatos esse non credunt. Hinc est illud ejusdem Apostoli: *Lex enim paedagogus noster erat in Christo* (Ib 3, 24). Ille igitur paedagogum dedit hominibus quem timerent, qui magistrum postea quem diligerent. In quibus tamen legis praeceptis atque mandatis, quibus nunc christianos uti fas non est quale vel sabbatum est vel circumcisio vel sacrificia et si quid hujusmodi est, tanta mysteria continentur, ut omnis pius intelligat nihil esse perniciosius, quam quidquid ibi est accipi ad literam, id est, ad verbum; nihil autem salubrius, quam spiritu revelari. Inde est: *Litera occidit,*

spiritus autem vivificat. [1]) Inde est: *Idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet, quod non revelatur, quoniam in Christo evacuatur* (2 Cor. 3, 6, 14). Evacuatur namque in Christo non vetus Testamentum, sed velamen ejus, ut per Christum intelligatur et quasi denudetur, quod sine Christo obscurum atque adopertum est. Statim quippe idem Apostulus subjicit: *Cum autem transieris ad Christum, auferetur velamen* (Ibid 16). Non enim ait, auferetur lex, aut Testamentum vetus. Non igitur per Domini gratiam tamquam inutilia ibi tegerentur, ablata sunt; sed tegmen potius, quo utilia tegebantur. Hoc modo agitur cum iis, qui studiose ac pie, non turbide atque improbe, Scripturarum illarum sensum requirunt, demonstraturque sedulo et ordo rerum et causae factorum atque dictorum et veteris Testamenti ad novum tanta congruentia, ut apex nullus, qui non consonet, relinquatur; et figurarum tanta

---

[1]) Ad h. l. haec animadvertit s. Augustinus retract l. 1. c. 14. n. 1: „Aliter exposui verba ista apostoli Pauli, et quantum mihi videtur vel potius ipsis rebus apparet, multo convenientius in eo libro, qui inscribitur: *de spiritu et litera,* quamvis non sit et iste sensus respuendus."

secreta, ut omnia, quae interpretando eruuntur, miseros esse cogant fateri, qui haec volunt ante condemnare, quam discere.

CAPUT IV.

Triplex error legentium.

10. Sed ut, omissa interim altitudine scientiae, sic agam tecum, quomodo agendum arbitror cum familiari meo; id est, sicut ego possum, non sicut doctissimos viros posse miratus sum; tria genera sunt erroris, quibus homines errant, cum aliquid legunt. De singulis dicam. Primum genus est, in quo id quod falsum est verum putatur, cum aliud qui scripsit putaverit. Alterum est, quamvis non tam late patens, non tamen minus noxium, cum id quod falsum est verum putatur, id tamen putatur, quod etiam ille qui scripsit putavit. Tertium est, cum ex alieno scripto intelligitur aliquid veri, cum hoc ille qui scripsit, non intellexerit. In quo genere non parum est utilitatis, imo si diligentius consideres, totus legendi fructus est integer. Primi generis exemplum est, ut si quisquam, verbi gratia dicat et credat Rhadamanthum apud inferos audire ac dijudicare causas mortuorum, eo quod Maronis

in carmine id legerit. Hic enim errat duobus modis, quod et rem non credendam credit, neque id putandus est credidisse ille quem legit. Alterum genus animadverti sic potest: si quis, quia Lucretius animam ex atomis esse scribit, eamque post mortem in easdem atomos solvi atque interire, id verum ac sibi credendum arbitretur. Nam et hic non minus miser est, si de re tanta id quod falsum est pro certo sibi persuasit; quamquam id Lucretius, cujus libris deceptus est, opinatus sit. Quid enim huic prodest de auctoris sententia certum esse, quando sibi eum non per quem non erraret, sed cum quo erraret, elegerit? Tertio generi est illud accommodatum: si quis Epicurum, lecto ejus in libris aliquo loco ubi continentiam laudat, in *virtute* illum summum bonum posuisse asseveret, et ideo non esse culpandum. Huic etiam quid obest error Epicuri, si summum bonum hominis voluptatem ille corporis credit; cum iste non se dederit tam turpi noxiaeque sententiae, neque ob aliam causam ei placeat Epicurus, nisi quod eum sensisse non putat, quod sentiri non oporteat? Hic error non modo humanus est, sed saepe etiam homine dignissimus. Quid enim si mihi de aliquo quem diligerem nunciaretur,

quod sibi, cum esset barbatus, pueritiam atque infantiam ita placere multis audientibus dixerit, ut etiam juraverit se similiter velle vivere, idque ita mihi probaretur, ut impudenter negarem; num reprehendendus viderer, si eum existimarem cum hoc diceret, significare voluisse, sibi placere innocentiam, et ab eis quibus hominum genus involveretur cupiditatibus animum alienum, et ex eo illum magis magisque diligerem, quam antea diligebam; etiam si fortasse ille in puerorum aetatibus libertatem quamdam in ludendo et cibando atque ignavum otium stultus adamasset? Fac enim eum esse defunctum postquam hoc mihi nunciatum est, nec interrogari a me potuisse quidquam, ut aperiret sententiam suam; essetne quisquam tam improbus qui mihi succenseret, cum hominis laudarem propositum et voluntatem per illa ipsa verba, quae acceperam? Quid quod etiam justus rerum existimator non dubitar[illegible] fortasse laudare opinionem ac voluntat[illegible] meam, cum et innocentia mihi placeret, et h[illegible] de homine in re dubia bene potius e[illegible] marem, cum etiam male liceret.

CAPUT V.

Tres scripturarum quarumcunque differentiae.

11. Quae cum ita sint, audi etiam earumdem scripturarum totidem conditiones et differentias. Nam necesse est totidem occurrant. Aut enim utiliter scripsit quispiam, et non utiliter ab aliquo intelligitur: aut utrumque inutiliter fit: aut utiliter intelligit lector, cum ille contra, qui legitur, scripserit. Horum trium primum non improbo, ultimum non curo. Nam neque possum reprehendere hominem, qui nulla sua culpa male intellectus est; nec moleste habere quemquam legi, qui verum non viderit, cum obesse legentibus nihil videam. Unum igitur genus est probatissimum et quasi purgatissimum, cum et bona scripta sunt et in bonam partem accipiuntur a legentibus. Id quoque tamen adhuc in duo dividitur, non enim penitus excludit errorem. Nam evenit plerumque, ut cum bene senserit scriptor, bene etiam lector sentiat, sed aliud quam ille, et saepe melius, saepe inferius, utiliter tamen. Cum autem et hoc sentimus, quod ille quem legimus, et id est vitae bene agendae accommodatissimum, cumulatissime sese habet veritas, nec aliunde

aperitur falsitatis locus. Quod genus cum de rebus obscurissimis lectio est, rarissimum omnino est; neque id, mea sententia, liquido sciri, sed tantummodo credi potest. Quibus enim argumentis absentis vel mortui hominis voluntatem ita colligam, ut de illa jurare possim; cum etiam si praesens interrogaretur, multa esse possent, quae si malus non esset officiosissime absconderet. Illud autem nihil ad rem cognoscendam valere arbitror, qualis fuerit ille qui scripsit: honestissime tamen bonus creditur, cujus literis generi humano posteritatique consultum est.

12. Quamobrem vellem mihi isti dicerent, in quo genere ponant Ecclesiae catholicae, quem putant, errorem. Si in primo, grave omnino crimen: sed defensionem longinquam non requirit; satis est enim negare ita nos intelligere, ut illi cum invehuntur existimant. Si in secundo, non minus grave est: sed eadem voce refellentur. Si in tertio, nullum crimen est. Age, ac deinde Scripturas ipsas considera. Quid enim libris objiciunt veteris, quod dicitur, Testamenti? Numquidnam quod boni sunt, sed male intelliguntur a nobis? At eos ipsi non accipiunt. An quia nec boni sunt, nec bene accipiuntur? At hoc

superior defensio satis expugnat. An illud dicent: Quamvis bene a vobis accipiantur, mali sunt tamen? Quid est aliud vivos, cum quibus res agitur, adversarios absolvere, atque olim mortuos, cum quibus nulla contentio est, accusare? Ego quidem illos viros et omnia utiliter memoriae mandasse, et magnos ac divinos fuisse, et illam legem Dei jussu ac voluntate promulgatam esse et conditam credo: et id, quamquam perpauca ejus generis librorum sciam, persuadere tamen facile possum, si mihi aequus et minime pertinax animus adhibeatur: atque id faciam, cum copia nobis data fuerit benevolarum aurium ac mentis tuae: sed hoc cum potero, nunc autem nonne mihi satis est, quoquo modo se ista res habeat, deceptum non fuisse?

CAPUT VI.

De Scripturis non est credendum expositoribus earum inimicis.

13. Testor, Honorate, conscientiam meam et puris animis inhabitantem Deum, nihil me existimare prudentius, castius, religiosius, quam sunt illae Scripturae omnes, quas Testamenti veteris nomine catholica

Ecclesia retinet. Miraris, novi. Non enim dissimulare possum, longe aliter nobis fuisse persuasum. Sed nihil est profecto temeritatis plenius (quae nobis tunc pueris inerat), quam quorumque librorum expositores deserere, qui eos se tenere ac discipulis tradere posse profitentur, et eorum sententiam requirere ab his, qui conditoribus illorum atque auctoribus acerbissimum, nescio qua cogente causa, bellum indixerunt. Quis enim sibi unquam libros Aristotelis reconditos et obscuros ab ejus inimico exponendos putavit? ut de his loquar disciplinis, in quibus lector fortasse sine sacrilegio labi potest. Quis denique geometricas literas Archimedis legere, magistro Epicuro, aut discere voluit? contra quas ille multum pertinaciter, nihil earum, quantum arbitror, intelligens, disserebat. An istae Scripturae legis planissimae sunt, in quas isti quasi vulgo expositas impetum faciunt frustra et inaniter? Qui mihi similes videntur illi mulierculae, quam iidem ipsi solent deridere, quae irata quod ei sol iste laudaretur et a manichaea quadam femina colendus commendaretur, ut erat religiose simplex, concita exilivit et eum locum, quem sol per fenestram illustraverat, crebro pede percutiens: Ecce solem deumque

tuum calco, clamare coepit: stulte omnino atque muliebriter, quis negat? Sed nonne tibi tales videntur isti, qui ea quae non intelligunt, aut cur aut omnino qualia sunt, quamvis jacentibus similia, subtilia tamen intelligentibus atque divina, magno impetu orationis maledictisque lacerantes, quia eis imperiti plaudunt, aliquid se proficere existimant? Quidquid est, mihi crede, in Scripturis illis, altum et divinum est: inest omnino veritas, et reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina; et plane ita modificata, ut nemo inde haurire non possit quod sibi satis est, si modo ad hauriendum devote ac pie, ut vera religio poscit, accedat. Quod ut tibi probem, multis rationibus et longiore oratione opus est. Agendum enim tecum prius est, ut auctores ipsos non oderis, deinde ut ames: et hoc agendum quovis alio modo potius, quam exponendis eorum sententiis et literis. Propterea quia si Virgilium odissemus, imo si non eum prius quam intellectus esset majorum nostrorum commendatione diligeremus, nunquam nobis satis fieret de illis ejus quaestionibus innumerabilibus, quibus grammatici agitari et perturbari solent; nec audiremus libenter, qui cum ejus laude illas

expediret; sed ei faveremus, qui per eas illum errasse ac delirasse conaretur ostendere. Nunc vero cum eas multi ac varie pro suo quisque captu aperire conentur, his potissimum plauditur, per quorum expositionem melior invenitur poëta, qui non solum nihil peccasse, sed nihil non laudabiliter cecinisse, ab eis etiam qui illum non intelligunt, creditur. Itaque in quaestiuncula magistro deficienti, et quid respondeat non habenti, succensemus potius, quam illum mutum vitio Maronis putamus. Jam si ad defensionem suam peccatum tanti auctoris asserere voluerit, vix apud eum discipuli vel datis mercedibus remanebunt. Quantum erat ut similem benevolentiam praeberemus eis, per quos locutum esse Spiritum sanctum tam diuturna vetustate firmatum est? Sed scilicet intelligentissimi adolescentes et miri rationum exploratores, non evolutis saltem illis literis, non quaesitis magistris, non aliquantum nostra tarditate accusata, non denique vel mediocri corde concesso eis, qui ejusmodi literas per totum orbem tam longo tempore legi, custodiri, tractarique voluerunt; nihil apud illos credendum putavimus, eorum qui istis inimici infestique sunt, voce commoti, apud quos falsa polli-

citatione rationis inaudita millia fabularum credere et colere cogeremur.

CAPUT VII.

Cum inqiuritur vera religio quaerenda est primum apud eos, qui excellunt famae celebritate et omnium occupatione populorum, proinde in Ecclesia catholica.

14. Sed nunc quod institui peragam, si possum, et sic apud te agam, ut fidem catholicam non interim aperiam, sed ad scrutanda ejus magna mysteria eis quorum animae sibi curae sunt, spem divini fructus et inveniendae veritatis ostendam. Nemo dubitat eum, qui veram religionem requirit, aut jam credere immortalem esse animam, cui prosit illa religio, aut etiam idipsum in eadem religione velle invenire. Animae igitur causa omnis religio: nam corporis natura quoquo modo se habeat, nullam curam ac sollicitudinem incutit ei, praesertim post mortem, cujus anima tenuerit quo beata sit. Animae igitur causa vel solius vel maxime vera, si qua est, religio constituta est. Haec autem anima, videro quam ob causam, et obscurissimum esse confiteor, errat tamen ac stulta est, ut videmus, donec adipiscatur percipiatque sapientiam, et fortasse ipsa est

vera religio. Num te ad fabulas mitto? num aliquid cogo te temere credere? Animam nostram dico errore ac stultitia irretitam et demersam, viam, si qua est, quaerere veritatis. Si hoc in te non est, da veniam et participare mecum, quaeso, sapientiam tuam: sin id quod dico agnoscis in te, simul obsecro quaeramus verum.

15. Puta nos adhuc neminem audisse cujuspiam religionis insinuatorem. Ecce res nova est a nobis negotiumque susceptum. Quaerendi sunt, credo, hujus rei, si ulla est, professores. Fac nos reperisse alios aliud opinantes, et diversitate opinionum ad se quemque trahere cupientes; sed inter hos excellere famae interim celebritate quosdam atque omnium pene occupatione populorum. Utrum isti verum teneant, magna quaestio est: sed nonne prius sunt explorandi, ut quamdiu erramus, siquidem homines sumus, cum ipso genere humano errare videamur?

16. At enim apud paucos quosdam est veritas. Scis ergo jam quae sit, si scis apud quos sit. Nonne dixeram paulo ante, ut quasi rudes quaereremus? Sed si ex ipsa vi veritatis paucos eam tenere conjectas, qui vero sint, nescis; quid si ita pauci sunt qui verum sciunt, ut auctoritate sua multitudinem

teneant, unde se in illa secreta expedire et quasi eliquare paucitas possit? Nonne videmus quam pauci summam eloquentiam consequantur, cum per totum orbem rhetorum scholae adolescentium gregibus perstrepant? Numquidnam imperitorum perterriti multitudine, quicunque boni oratores evadere volunt, Caecilii sibi potius aut Erucii orationibus, quam Tullianis navandam operam existimant? Haec appetunt omnes, quae majorum auctoritate firmata sunt. Eadem imperitorum turbae discere moliuntur, quae a paucis doctis discenda recepta sunt: assequuntur autem perpauci, agunt pauciores, clarescunt paucissimi. Quid si tale quiddam est vera religio? Quid si multitudo imperitorum frequentat ecclesias, sed nullum argumentum est, ideo neminem illis mysteriis factum esse perfectum? Et tamen si tam pauci studerent eloquentiae, quam pauci sunt eloquentes, nunquam nos parentes nostri magistris talibus commendandos putarent. Cum igitur ad haec studia nos multitudo invitaverit, quae imperitorum parte copiosa est, ut id, quod pauci adipisci possunt, adamaremus; cur nobis esse similem in religione nolumus causam, quam cum magno animae discrimine fortasse conte-

mnimus. Si enim verissimus et sincerissimus Dei cultus, quamvis sit apud paucos, apud eos tamen est, quibus multitudo, quamquam cupiditatibus involuta, et a puritate intelligentiae remota, consentit; quod fieri posse quis dubitet? quaero, si quis temeritatem vecordiamque nostram arguat, quod non apud ejus magistros eam diligenter investigamus, cujus inveniendae nobis magna cura inest, quid respondere possimus? Deterruit me multitudo? Cur ab studio artium liberalium, vix huic praesenti vitae aliquid commodi afferentium, cur ab inquirenda pecunia, cur ab honore adipiscendo, cur denique a comparanda et retinenda bona valetudine, postremo cur ab ipsa beatae vitae appetitione, cum his omnes occupentur, pauci excellant, nulla deterruit multitudo?

17. At absurda ibi dici videbantur. Quibus asserentibus? Nempe inimicis, qualibet causa, qualibet ratione, non enim hoc nunc quaeritur, tamen inimicis. Cum legerem, per me ipse cognovi. Itane est? Nulla imbutus poëtica disciplina Terentianum Maurum sine magistro attingere non auderes; Asper, Cornutus, Donatus et alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet poëta possit intelligi, cujus carmina et theatri plausus videntur

captare: tu in eos libros, qui quoquo modo se habeant, sancti tamen divinarumque rerum pleni, prope totius generis humani confessione diffamantur, sine duce irruis, et de his sine praeceptore audes ferre sententiam; nec si tibi aliqua occurrunt, quae videantur absurda, tarditatem tuam et putrefactum tabe hujus mundi animum, qualis omnium stultorum est, accusas potius, quam eos, qui fortasse a talibus intelligi nequeunt. Quaereres aliquem pium simul et doctum, vel qui talis esse multis consentientibus diceretur, cujus et praeceptis melior et doctrina peritior fieres. Non facile reperiebatur? Cum labore investigaretur. Deerat in ea terra quam incolebas? Quae causa utilius cogeret peregrinari? In continenti prorsus latebat aut non erat? Navigaretur. Si in propinquo trans mare non inveniebatur, progredereris usque ad illas terras, in quibus ea, quae illis libris continentur, gesta esse dicuntur. Quid tale fecimus, Honorate? Et tamen religionem fortasse sanctissimam, adhuc enim quasi dubitandum sit (loquor), cujus opinio totum jam terrarum orbem occupavit, miserrimi pueri pro nostro arbitrio judicioque damnavimus. Quid si illa, quae nonnullos imperitos in eisdem Scripturis videntur offendere, eo sunt

ita posita, ut cum res abhorrentes a sensu qualiumcunque hominum, nedum prudentium atque sanctorum, legerentur, secretam significationem multo studiosius quaereremus? Nonne cernis, ut Catamitum [1]) Bucolicorum, cui pastor durus effluxit, conentur homines interpretari, et Alexim puerum, in quem Plato etiam carmen amatorium fecisse dicitur, nescio quid magnum significare, sed imperitorum judicium fugere affirment; cum sine ullo sacrilegio poëta uberrimus videri possit libidinosas cantiunculas edidisse?

18. Sed revera revocabat nos atque prohibebat a quaerendo aut alicujus legis sanctio, aut adversantium potentia, aut sacratorum persona vilis, aut fama turpis, aut institutionis novitas, aut occulta professio? Nihil horum est. Omnia divina et humana jura permittunt quaerere catholicam fidem; tenere autem et colere per humanum certe jus licet, si de divino quamdiu erramus, incertum est: nemo imbecillitatem nostram terret inimicus (quamquam veritas atque animae salus si diligenter quaesita, ubi tutissime licet, inventa

---

[1]) Catamitus hic, quo nomine puer meritorius vocatur, intelligendus est ipse Alexis puer, de quo Virgilius in bucolicis eclog. 2. (Edit. Maur.)

non fuerit, cum quovis discrimine quaeri debeat): omnium dignitatum et potestatum gradus huic divino cultui devotissime inserviunt: honestissimum est religionis nomen et praeclarissimum. Quid impedit tandem perscrutari atque discutere pia et sedula investigatione, utrum hic sit illud, quod sincerissime nosse et custodire paucos necesse est, etiamsi omnium in id gentium voluntas favorque conspiret?

19. Quae cum ita sint, fac nos, ut dixi, nunc primum quaerere cuinam religioni animas nostras purgandas instaurandasque tradamus: procul dubio a catholica Ecclesia sumendum exordium. Plures enim jam christiani sunt, quam si judaei simulacrorum cultoribus adjungantur. Eorundem autem christianorum, cum sint haereses plures, atque omnes se catholicos velint videri, aliosque praeter se haereticos nominent, una est Ecclesia, ut omnes concedunt, si totum orbem consideres, refertior multitudine; ut autem qui noverunt affirmant, etiam veritate sincerior ceteris omnibus. Sed de veritate alia quaestio est: quod autem quaerentibus satis est, una est Catholica, cui haereses aliae diversa nomina imponunt, cum ipsae singulae propriis vocabulis, quae negare non audeant,

appellentur. Ex quo intelligi datur, judicantibus arbitris quos nulla impedit gratia, cui sit catholicum nomen, ad quod omnes ambiunt, tribuendum [1]). Sed ne id loquacissime

---

[1]) Juverit summatim retulisse quae praeeuntibus Patribus fusius theologi de apposito *catholica*, quod in Symbolo nicaeno Ecclesiae tribuitur, disputant. Tenendum 1) est antiquius illud esse turbis novatianorum, cum jam sec. 2. ecclesia smyrnensis suam de passione s. Policarpi epistolam inscripserit: „Omnibus ubique terrarum sanctae et *catholicae Ecclesiae* paroeciis" (cf. etiam n. 8, 19.) et prius s. Ignatius M. docuerit. „*Ubi fuerit Christus, ibi catholica est Ecclesia*" (Ep. ad smyrn. n. 8). Reperitur quoque hoc appositum in symbolo apostolico secundum formam ecclesiae alexandrinae et hierosolymitanae, quamvis fatendum sit, illud deesse in ea forma, qua utebantur ecclesiae romana, ravennatensis, aquilejensis et africana. Tenendum est 2) nomine hoc veram Ecclesiam ab haereticorum coetibus illiusque filios ab haereticis et schismaticis distingui. Praeclarissima sunt hac de re Patrum effata. Ita Pacianus barcinonensis ep. ad Sympronianum (ep. 1. n. 3.) scribit: „Sub apostolis, inquies, nemo *catholicus* vocabatur. Esto, sic fuerit, vel illud indulge. Cum post apostolos haereses exstitissent diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes et scindere niterentur, nonne cognomen suum plebs apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signari? Ego forte ingressus populosam urbem hodie, cum marcionitas, cum

aut superfluo quispiam disserendum putet, una est certe, in qua ipsae quodam modo

---

appollinariacos, cataphrygas, novatianos et ceteros ejusmodi comperissem, qui se christianos vocarent, quo cognomine congregationem plebis meae agnoscerem, nisi *catholica* diceretur?“ Hinc n. 4. aurea illa profert verba: „Nec tamen aestues, frater; ***christanus mihi nomen est, catholicus vero cognomen.*** Illud me nuncupat, istud ostendit; hoc probor, inde significor.“ Similia habet S. Cyrillus hier., qui ita (Catech. 18. n. 26) catechumenos suos instruit: „Si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter requiras, ubi sit dominicum (i. e. aedes sacra), nam et ceterae impiorum sectae atque haereses suas ipsorum speluncas dominicorum nomine honestare nituntur; neque ubi sit simpliciter ecclesia, sed ubi sit *catholica ecclesia*, hoc enim proprium nomen est hujus sanctae et matris omnium nostrum, quae quidem et sponsa est D. N. Jesu Christi“. Idem docet Augustinus c. ep. fundamenti c. 4; de vera relig. ubi c. 6 statuit: „Ab haeretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cum *catholicus* dicitur“. Quare 3) nomen hoc nomen est *proprium* verae Ecclesiae, et hinc videmus illud revera uni semper per quaevis secula coetui inhaesisse. Verum quidem 4) est quod jam Augustinus (c. ep. fundam. c. 4) testatur: „Omnes haereticos se catholicos dici volunt“; verum quoque est coetui illi, qui catholicus consuevit dici, alia nomina ab haereticis fuisse per contemptum imposita, neutrum tamen evincit, nomen istud proprium non esse verae Ecclesiae. Licet enim a) haeretici catholicos se dixerint, nemo tamen praeter ipsos hoc nomine eos salutavit, imo reliqui omnes nomine, quod a suis au-

etiam humanae leges christianae sunt. Nullum ego hinc praejudicium fieri volo, sed

---

ctoribus traxerunt, tamquam proprio eos designare et ab aliis distinguere solent, quo facto Patres libenter utuntur, ut illorum profanam comprobent originem. „Sicubi audieris, ita Hieronymus (in dial. c. Lucif. n. 9), eos, qui dicuntur christiani, non a Domino Jesu Christo, sed a quoquo alio nuncupari ut marcionitas, valentianos, scito non Ecclesiam Christi sed antichristi esse synagogam. Fusius vero hoc argumentum in arianos intorquet s. Athanasius (or. 1. n. 2, 3.) ubi inter alia legimus: „Nec enim unquam populus (christianus) a propriis episcopis nomen accepit, sed a Domino in quem et fidem habemus. Hinc licet beati apostoli magistri nostri et Evangelii Salvatoris administri fuerint, ex illis tamen non nominamur, sed christiani a Christo et sumus et dicimur. Hi autem, qui ab aliis habent suae fidei originem, congruenter illorum nomine notantur, utpote qui ad eosdem pertinent". Quod deinde inductione ostendit historica. Similia habet Chrysostomus h. 33. in acta ap. n. 4, Basilius in Ps. 48. n. 7; Lactantius div. instit. l. 4. c. 30; Justinus in dial. cum Tryph. n. 35; auctor qq. ad Antiochum (inter opera spuria s. Athanasii Mig. 28, 627.) q. 45. ubi ita habet: „Quocirca diligenter advertat quicunque ad Christum vult accedere, omnem fidem in terris nomine alicujus hominis appelari. Scilicet a Simone simoniani dicuntur, a Marcione marcionitae, ab Ario ariani et eunomiani propter Eunomium. Hae omnes ceteraeque fides, quae hominum nomina ferunt atque ita propter illos appellantur, non sunt Dei neque Deus in illis est. Nam si Dei sunt, cur hominum nominibus appellantur et in-

exordium quaerendi opportunissimum judico. Non enim metuendum est, ne verus Dei

---

signiuntur? Gloriatio igitur gloriationum erit nobis *catholica Ecclesia*, ut et quod christiani dicimur et nominamur, ut qui non ab hominibus nominemur, sed a Deo illuminemur etc." Sicut autem b) haec nomina ab auctoribus derivata haeserunt semper haeriticis, ita nunquam haeserunt Ecclesiae illa nomina, quae haeretici illi tribuebant. Illi ab omnibus eodem semper nomine designantur, haec quidem diversa a diversis nomina accipit, sed velint nolint, inquit ad rem Augustinus[9] (de vera relig. n. 12), ipsi quoque haeretici et schismatum alumni, 'quando non cum suis sed cum extraneis loquuntur, catholicam nil aliud quam catholicam vocant. *Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur*". Hinc praeclaram illam infert conclusionem in hoc opusc., cui hanc subjecimus adnotationem. Cf. eundem l. 1. op. imperf. n. 75. et l. c. serm. arian. c. 36. Sed quinam 5) coetus sec. 3. 4. et 5. solebat dici catholicus? Is, si Patres audimus, qui communione sociabatur romano pontifici. Idem enim illis erat hujus frui communione et esse catholicum, quod facile antiquitatis monumentis comprobatur. „Fidem suam quam vocat? quaerit Hieronymus l. 1. c. Rufinum n. 4. Eamne qua romana pollet ecclesia, an illam quae in Origenis voluminibus continetur? Si romanam responderit, *ergo catholici sumus*". Cf. quoque ejus ep. 15. et 16. ad Damasum; de viris illustr. c. 86. S. Cyprianus ep. 52 ad Antonianum (n. 1.) ita habet: „Scripsisti etiam ut exemplum earundem literarum ad Cornelium collegam nostrum tunc romanum episcopum transmitterem,

cultus nullo proprio robore innixus ab eis, quos fulcire debeat, fulciendus esse videatur:

---

ut deposita omni sollicitudine jam scirette secum h. e. cum catholica Ecclesia communicare." Et Cornelium romanum pontificem alloquens (ep. 45.) curam se habuisse dicit ut „te collegae nostri et communionem tuam i. e. catholicae Ecclesiae unitatem pariter ac caritatem probarent firmiter et tenerent." Praeclara vero sunt, quae refert s. Ambrosius de fratre suo Satyro adhuc catechumeno (de ejus excessu l. 1. n. 47): „Advocavit ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam (i. e. baptismum) percunctatusque ex eo est, utrum episcopis catholicis h. e. cum romana sede conveniret." Omittimus alia ut s. Cypriani, de unit. Eccl. n. 4; s. Augustini, ep. 43. n. 7, Optati milev., de schism. donat. l. 2. n. 9; Hormisdae, in formula episcopis, qui schismatis Acaciani participes fuerant, praescripta, vel Pelagii haeretici, in fidei confessione Innocentio I. oblata. Cf. Passaglia, de Eccl. l. 1. c. 26. n. 367 ss. Schrader, de unitate romana n. 4 ss. Quare 5) sponte sua sequitur haec illatio: Si appositum *catholica* nomen fuit proprium ac tesserae instar, qua sec. 3. 4. et 5. vera Ecclesia distinguebatur a sectis haereticis et schismaticis, etiam seculo 19. hoc nomine distinguetur vera Ecclesia a spuria, neque enim ulla probabilitatis specie defendi poterit, veram Christi Ecclesiam nomen suum proprium amisisse illudque transisse ad ecclesiam adulteram. Hinc S. Augustinus (de vera relig. c. 7) statuit: „Tenenda est nobis christiana religio et ejus Ecclesiae communicatio, quae catholica est *et catholica nominatur non solum a suis verum etiam ab omnibus inimicis*". Et

sed certe perfectae felicitatis est, si potuerit ibi verum inveniri, ubi et inquisitio ejus et

---

recensens rationes, propter quas manichaeorum castris desertis nomen suum catholicae dederit Ecclesiae, et hanc (c. ep. fundam. c. 4) adducit: „Tenet postremo et ipsum *catholicae* nomen quod non sine causa inter tam multas haereses sola Ecclesia hoc nomen obtinuit“. Merito proinde Bellarminus de notis disserens Ecclesiae etiam hoc nomen inter notas enumerat (de conc. et eccl. l. 4. c. 4). Sequitur 6) et haec altera illatio: Si sec 3. 4. et 5. communio cum romano episcopo nota et tessera erat, qua agnoscerentur et dignoscerentur membra Ecclesiae catholicae proinde verae, probabile admodum, si non certum, criterium hoc erit, quo sec. 19. eadem cognoscantur et dignoscantur. Licet et nobis uti argumento, quod vehementer in Parmenianum donatistam intorquet Optatus (L. 2. n. 9. de schism. donat.): „Jamne vides, frater Parmeniane, jamne sentis, jamne intelligis te argumentis tuis contra te militasse? cum probatum est, *nos esse in Ecclesia sancta catholica,* apud quos et symbolum Trinitatis est et *per cathedram Petri, quae nostra est,* per ipsam ceteras dotes apud nos esse“. Verum 7) quaeri potest, quid hoc apposito *catholica* significetur. Catholicum, catholicitas spectato etymo infinite significat universalitatem, plenitudinem. Potest autem in Ecclesia secerni universalitas et plenitudo a) doctrinae; b) mediorum sanctificantium; c) materiae remotae, quae est universum genus humanum, in cujus utilitatem et salutem eadem fuit instituta; plenitudo dein et universalitas d) chronographica, chorographica et ethnographica scil. quoad tempus, loca et gentes. Hinc liquet multiplici sensu Ecclesiam dici posse *ca-*

retentio securissima est: si non potuerit, tum demum alio, quocumque periculo adeundum atque rimandum.

---

tholicam. Omnes has significationes plus minusve indicat Cyrillus hieros. „*Catholica* vocatur (Ecclesia), inquit (catech. 18. n. 23), eo quod per totum orbem ab extremis terrae finibus ad extremos usque fines diffusa est. Et quia universe et absque defectu docet omnia, quae in hominum notitiam venire debent, dogmata..... Tunc etiam eo, quod omne hominum genus recto cultui subjiciat, principes et privatos, doctos et imperitos. Ac denique, quia generaliter quidem omne peccatorum genus, quae per animam et corpus perpetrantur, curat et sanat; eadem vero omne possidet virtutis genus." Sed licet Ecclesia tam multiplici sensu *catholica* dici *possit*, tamen ut liquet maxime ex controversia cum donatistis sec. 4. et 5., ea est vis hujus nominis, ut significetur Ecclesiae per gentes et loca diffusio; hinc passim Patres cum Optato milevit. (de schism. donat. l. 2. n. 1.) inculcant, Ecclesiam inde dictam esse catholicam, *quod ubique diffusa sit.* Multa quidem essent dicenda de hac Ecclesiae diffusione, ne praeposterum in sensum accipiatur, sed prolixitatem vitantes verbis S. Augustini concludimus, qui eam graphice plane depingit (s. 46. al. 165. de temp. c. 8. n. 18). „Non omnes haeretici, ita ille, per totam faciem terrae, sed tamen haeretici per totam faciem terrae. Alii hic, alii ibi, nusquam tamen desunt: ipsi se non norunt. Alia secta in Africa, alia haeresis in Oriente, alia in Aegypto, alia in Mesopotamia verbi gratia. Diversis locis sunt diversae ...... Sed tamen illa (Ecclesia catholica) omnes novit, quia cum omnibus fusa est. Verbi gratis,

CAPUT VIII.

Qua via Augustinus venerit ad catholicam religionem.

20. His igitur constitutis, quae, ut opinor, ita justa sunt, ut obtinere apud te istam causam quovis adversario debeam, edam tibi ut possum, cujusmodi viam usus fuerim, cum eo animo quaererem veram religionem, quo nunc exposui esse quaerendam. Ut enim a vobis trans mare abscessi, jam cunctabundus atque haesitans, quid mihi tenendum, quid dimittendum esset: quae mihi cunctatio in dies major oboriebatur, ex quo illum homi-

---

est in Africa pars Donati, eunomiani non sunt in Africa; sed cum parte Donati est hic Catholica. Sunt in Oriente eunomiani, ibi non est pars Donati, sed cum eunomianis ibi est Catholica. Illa sic est tamquam vitis crescendo ubique diffusa: illi sic sunt tamquam sarmenta inutilia agricolae falce praecisa merito sterilitatis suae, ut vitis putaretur non ut amputaretur. Sarmenta ergo illa ubi praecisa sunt, ibi remanserunt. Vitis autem crescens et sarmenta sua novit, quae in illa manserunt, et juxta se quae de illa praecisa sunt." Quis non videt haec mutatis nominibus haeresum de Ecclesia romano-catholica repeti posse? Cf. Suarez, defensio fidei cath. l. 1. cc. 12 ss.; Thomassini diss. 16. de conciliis; Binterim, epist. cathol. 2. c. 2. § 6. exercit. 5.

nem [1]), cujus nobis adventus, ut nosti, ad explicanda omnia quae nos movebant, quasi de coelo promittebatur, audivi, eumque excepta quadam eloquentia talem quales ceteros esse cognovi; rationem ipse mecum habui magnamque deliberationem jam in Italia constitutus, non utrum manerem in illa secta, in quam me incidisse poenitebat, sed quonam modo verum inveniendum esset, in cujus amorem suspiria mea nulli melius quam tibi nota sunt. Saepe mihi videbatur non posse inveniri, magnique fluctus cogitationum mearum in academicorum [2]) suffragium ferebantur. Saepe rursus intuens quantum poteram, mentem humanam tam vivacem, tam sagacem, tam perspicacem, non putabam latere veritatem, nisi quod in ea quaerendi modus lateret, eundemque ipsum modum ab aliqua divina auctoritate esse sumendum. Restabat quaerere, quaenam illa esset auctoritas; cum

---

[1]) I. e. Faustum episcopum, qui magna nominis fama inter manichaeos eminebat; de quo cf. s. Augustinus confess. l. 5. c. 6. et 8. ubi eum *„magnum diaboli laqueum“* vocat, cujus suaviloquentia multi implicabantur.

[1]) Academici asserebant nihil certi sciri posse nullique rei debere quemquam assentiri, contra quos s. doctor tres elegantes admodum libros conscripsit.

in tantis dissensionibus se quisque illam traditurum polliceretur. Occurrebat igitur inexplicabilis silva, cui demum inseri multum pigebat: atque inter haec sine ulla requie cupiditate reperiendi veri animus agitabatur. Dissuebam me tamen magis magisque ab istis, quos jam deserere proposueram. Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam ut divinam providentiam lacrymosis et miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer. Atque id sedulo faciebam: et jam fere me commoverant nonnullae disputationes mediolanensis episcopi [1]), ut non sine

---

[1]) Audiendus est Augustinus haec fusius narrans confess. l. 5. c, 13, ubi haec inter alia refert: „Veni Mediolanum ad Ambrosium episcopum in optimis notum orbi terrae, pium cultorem tuum, cujus tunc eloquia strenue ministrabant adipem frumenti tui et laetitiam olei et sobriam vini ebrietatem populo tuo. Ad eum autem ducebar abs te nesciens, ut per eum ad te sciens ducerer. Suscepit me paterne ille homo Dei et peregrinationem meam satis episcopaliter dilexit. Et eum amare coepi primo quidem non tamquam doctorem veri, quod in Ecclesia tua prorsus desperabam, sed tamquam hominem benignum in me. Et studiose audiebam disputantem in populo non intentione qua debui, sed quasi explorans ejus facundiam, utrum conveniret famae suae: an major minorve proflueret, quam praedicabatur, et verbis ejus suspendebar intentus. Rerum autem incuriosus contemptor astabam et delectabar suavitate sermonis, quamquam eruditioris,

spe aliqua de ipso vetere Testamento multa quaerere cuperem, quae, ut scis, male nobis commendata exsecrabamur. Decreveramque tamdiu esse catechumenus in Ecclesia, cui traditus a parentibus eram, donec aut invenirem quod vellem, aut mihi persuaderem non esse quaerendum. Opportunissimum ergo me ac valde docilem tunc invenire posset, si fuisset

---

minus tamen hilarescentis atque mulcentis, quam Fausti erat, quod attinet dicendi modum. Ceterum rerum ipsarum nulla comparatio. Nam ille per manichaeas fallacias aberrabat, iste autem saluberrime docebat salutem. Sed longe est a peccatoribus salus, qualis ego tunc aderam: et tamen propinquabam sensim et nesciebam. Cum enim non satagerem discere quae dicebat, sed tantum quemadmodum dicebat audire; ea mihi quippe jam desperanti ad te viam patere homini inanis cura remanserat. Sed veniebant in animum simul cum verbis, quae diligebam, res etiam quas negligebam. Neque enim ea dirimere poteram. Et dum cor aperirem ad excipiendum quam diserte diceret, pariter intrabat et quam vere diceret, gradatim quidem. Nam primo etiam ipsa defendi posse mihi jam coeperant videri, et fidem catholicam pro qua nihil posse dici adversus oppugnantes manichaeos putaveram, jam non impudenter asseri existimabam: maxime audito uno atque altero et saepius aenigmate soluto de Scripturis veteribus, ubi cum ad literam acciperem, occidebar spiritualiter etc. . . . . Statui ergo tamdiu esse catechumenus in catholica Ecclesia mihi a parentibus commendata, donec aliquid certi eluceret, quo cursum dirigerem".

qui posset docere. Hoc ergo modo et simili animae tuae cura si diu te quoque affectum vides, et si jam satis tibi jactatus videris, finemque hujusmodi laboribus vis imponere; sequere viam catholicae disciplinae, quae ab ipso Christo per apostolos ad nos usque manavit, et ab hinc ad posteros manatura est.

CAPUT IX.

Catholica Ecclesia venientibus praecipit fidem, haeretici promittunt rationem. Quid intersit inter credentem et credulum.

21. Ridiculum, inquis, istud est, cum omnes hanc se profiteantur tenere ac docere. Profitentur hoc omnes haeretici, negare non possum; sed ita ut eis, quos illectant, rationem se de obscurissimis rebus polliceantur reddituros: eoque Catholicam [1]) maxime criminantur, quod illis, qui ad eam veniunt, praecipitur ut credant; se autem non jugum credendi imponere, sed docendi fontem aperire gloriantur. Quid, inquis, dici potuit, quod ad eorum laudem magis pertineret? Non ita est. Hoc enim faciunt nullo robore praediti, sed ut aliquam concilient multitudinem no-

---

1) *Catholicam* i. e. Ecclesiam, quae passim ab Augustino sine ullo apposito per excellentiam catholica simpliciter dicitur.

mine rationis: qua promissa naturaliter anima gaudet humana, nec vires suas valetudinemque considerans, sanorum escas appetendo, quae male committuntur nisi valentibus, irruit in venena fallentium. Nam vera religio, nisi credantur ea, quae quisque postea, si se bene gesserit dignusque fuerit, assequatur atque percipiat, et omnino sine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest.

22. Sed quaeris fortasse vel de hoc ipso aliquam accipere rationem, qua tibi persuadeatur, non prius ratione quam fide te esse docendum. Quod facile potest, si modo aequum te praebeas. Sed ut commode fiat, volo quasi respondeas interroganti: et primo dicas mihi, quare tibi videatur non esse credendum. Quod ipsa, inquis, credulitas, a qua creduli nominantur, vitium quoddam mihi videtur esse: alioquin hoc nomen non pro convicio objectare soleremus. Nam si suspiciosus in vitio est, eo quod non comperta suspicatur: quanto magis credulus, qui hoc a suspicioso differt, quod ille incognitis aliquam, iste nullam tribuit dubitationem. Interim accipio hanc opinionem ac distinctionem. Sed scis etiam curiosum non nos solere appellare sine convicio; studiosum vero etiam cum laude. Quamobrem attende, si placet, etiam inter

haec duo quid tibi distare videatur. Id certe respondes, quod quamvis uterque agatur magna cupiditate noscendi, curiosus tamen ea requirit, quae nihil ad se attinent: studiosus autem contra, quae ad sese attinent, requirit. Sed quia non negamus ad hominem pertinere conjugem ac liberos et eorum salutem; si quispiam peregre positus, quemadmodum valeant ac sese agant sua conjux ac liberi, omnes advenientes sedulo percontetur, magna utique ducitur cupiditate noscendi: et tamen hunc studiosum non vocamus, qui et magnopere scire vult, et ea quae ad se maxime pertinent. Quare jam intelligis eo vacillare istam definitionem studiosi, quod omnis quidem studiosus ea nosse vult, quae ad se pertinent, non tamen omnis qui id agit studiosus vocandus est; sed is qui ea, quae ad animum nutriendum liberaliter atque ornandum pertinent, impensissime requirit, tamen studentem recte appellamus, praesertim addentes quid studeat audire. Nam etiam suorum studiosum possumus appellare, si suos tantum diligit: non tamen adjunctione nulla, communi nomine studiosorum dignum putamus. Audiendi autem cupidum quemadmodum se sui haberent, non appellarem studiosum audiendi, nisi gaudens fama bona

idipsum saepe vellet audire: studentem vero, etiam si semel. Refer nunc animum ad curiosum, et dic mihi, utrum si quis fabellam libenter audiret nihil sibi omnino profuturam, id est, rerum ad se non pertinentium, neque id odiose atque crebro, sed rarissime ac modestissime, vel in convivio vel in aliquo circulo ullove consessu, videreturne tibi curiosus? Non opinor: sed certe habens illius rei curam, quam libenter audiret, profecto videretur. Quapropter etiam curiosi definitio ea regula, qua studiosi, emendanda est. Vide igitur utrum et illa superiora emendanda sint. Cur enim non et suspiciosi nomine indignus sit, qui aliquando aliquid suspicatur; et creduli, qui aliquando aliquid credit? Itaque ut inter studentem alicujus rei et omnino studiosum, rursumque inter curam habentem atque curiosum, ita inter credentem et credulum plurimum interest.

CAPUT X.

Via ad religionem tutior et ab omnibus tenenda est fides, cum rationi percipiendae idonei sint perpauci.

23. Sed nunc vide, inquies, utrum in religione credere debeamus. Neque enim si concedimus aliud esse credere, aliud credulum esse, sequitur ut nulla culpa sit in re-

ligionibus credere. Quid enim si et credere et credulum esse vitiosum est, quemadmodum et ebrium et ebriosum esse? Quod qui certum existimat, nullum mihi habere posse amicum videtur. Si enim turpe est aliquid credere, aut turpiter facit qui amico credit, aut nihil amico credens quomodo amicum vel ipsum vel se appellet non video. Hic fortasse dicas, concedo aliquid aliquando esse credendum, nunc expedi quomodo in religione turpe non sit credere, antequam scire. Faciam, si potero. Quocirca ex te quaero, quid existimes in graviore culpa esse, religionem tradere indigno, an id quod ab eis, qui illam tradunt, dicitur, credere. Si quem dicam indignum non intelligis: eum dico, qui ficto pectore accedit. Concedis, ut arbitror, magis culpandum esse, tali homini pandere si qua sunt sancta secreta, quam religiosis viris de ipsa religione aliquid affirmantibus credere. Neque enim te aliud respondere decuerit. Quare nunc fac putes eum adesse, qui tibi religionem sit traditurus: quonam modo illi fidem facturus es, vero animo te accedere, neque quidquam in te, quod ad hanc rem attinet, doli atque simulationis esse? dices, bona tua conscientia nihil te fingere, quantis poteris idipsum asserens verbis, sed tamen verbis. Non enim

animi tui latebras, ita ut intime sciaris, homo homini aperire possis. At ille si dixerit, ecce credo tibi, sed nonne est aequius, ut etiam tu credas mihi, cum tu beneficium, si aliquid veri teneo, sis accepturus, daturus ego? quid respondebis, nisi esse credendum?

24. Sed, inquis, nonne erat melius, rationem mihi redderes, ut ea quocumque me duceret, sine ulla sequerer temeritate? Erat fortasse: sed cum res tanta sit, ut Deus tibi ratione cognoscendus sit, omnesne putas idoneos esse percipiendis rationibus, quibus ad divinam intelligentiam mens ducitur humana, an plures, an paucos? Paucos, ais, existimo. Horumne in numero esse te credis? Non est meum, inquis, hoc respondere. Illius ergo putas, etiam hoc tibi credere: quod quidem facit. Tu tantum memento, jam eum bis credidisse tibi incerta dicenti; te illi religiose admonenti ne semel quidem velle credere. Verum fac ita esse, et vero animo te ad accipiendam religionem accedere, et ita paucorum te esse hominum, ut rationes quibus ad certam cognitionem vis divina perducitur, capere possis: quid, ceteris hominibus, qui tam sereno ingenio praediti non sunt, negandam religionem putas? An eos pedetentim quibusdam gradibus ad illa summa penetralia esse

ducendos? Vides plane quid sit religiosius. Neque enim tibi quivis homo in rei tantae cupiditate ullo modo deserendus aut respuendus videri potest. Sed nonne censes, nisi primo credat se ad id quod instituit perventurum, mentemque supplicem praebeat, et quibusdam magnis necessariisque praeceptis obtemperans quadam vitae actione perpurget, non eum esse aliter illa, quae pure vera sunt, adepturum? Censes profecto. Quid ergo istis, quorum de genere te esse jam credo, qui facillime divina secreta ratione certa capere possunt, si hac via veniant, qua illi qui primitus credunt, numquid tandem oberit? Non arbitror. Sed tamen ais, Quid eos morari opus est? Quia etsi facto sibi nihil nocebunt, nocebunt tamen exemplo ceteris. Vix enim est qui de se tantum sentiat, quantum potest: sed qui minus, excitandus est; qui amplius, reprimendus; ut neque ille desperatione frangatur, neque iste praecipitetur audacia. Quod facile fit, si etiam ii qui valent volare, ne cui sint periculoso invitamento, paulisper cogantur incedere qua etiam ceteris tutum est. Haec est providentia verae religionis: hoc jussum divinitus, hoc a beatis majoribus traditum, hoc ad nos usque servatum: hoc perturbare velle atque pervertere, nihil est aliud quam

ad veram religionem sacrilegam viam quaerere. Quod qui faciunt, nec si eis concedatur quod volunt, possunt quo intendunt pervenire. Cujusmodi enim libet excellant ingenio, nisi Deus adsit, humi repunt. Tunc autem adest, si societatis humanae in Deum tendentibus cura sit. Quo gradu nihil firmius in coelum reperiri potest. Ego quidem huic rationi non possum resistere: nam nihil sine cognitione esse credendum, qui possum dicere? cum et amicitia, nisi aliquid credatur, quod certa ratione demonstrari non potest, omnino nulla sit, et saepe dispensatoribus servis sine ulla culpa dominorum credatur. In religione vero quid iniquius fieri potest, quam ut Dei antistites nobis non fictum animum pollicentibus credant, nos eis praecipientibus nolimus credere? Postremo quae potest esse via salubrior, quam idoneum primo fieri percipiendae veritatis, adhibendo iis fidem, quae ad praecolendum et ad praecurandum animum sunt divinitus constituta? aut si jam prorsus idoneus sis, circuire potius aliquantum qua tutissimum est ingredi, quam et tibi esse auctorem periculi et ceteris temeritatis exemplum?

CAPUT XI.

Credentes ab opinantium temeritate quomodo sint alieni.

25. Quare jam superest ut consideremus, quo pacto hi sequendi non sint, qui se pollicentur ratione ducturos. Nam quomodo sine culpa possimus sequi eos, qui credere jubent, jam dictum est: ad hos autem sponsores rationis, non modo sine vituperatione, sed etiam cum aliqua laude se venire nonnulli putant: sed non ita est. Duae enim personae in religione sunt laudabiles: una eorum qui jam invenerunt, quos etiam beatissimos judicare necesse est: alia eorum qui studiosissime et rectissime inquirunt. Primi ergo sunt jam in ipsa possessione, alteri in via, qua tamen certissime pervenitur [1]). Tria sunt alia hominum genera profecto improbanda ac detestanda. Unum est opinantium, id est, eorum

[1]) „In his meis verbis, animadvertit Augustinus in suis retract. l. 1. c. 14. n. 2. ad h. l., si illi qui jam invenerunt, quos in ipsa possessione jam esse diximus, sic accipiantur beatissimi, ut non in hac vita, sed in ea quam speramus, et ad quam per fidei viam tendimus, sint, non habet iste sensus errorem: ipsi enim judicandi sunt quod quaerendum est invenisse, qui jam ibi sunt quo nos quaerendo et credendo, id

qui se arbitrantur scire quod nesciunt. Alterum eorum, qui sentiunt quidem se nescire, sed non ita quaerunt, ut invenire possint. Tertium eorum, qui neque se scire existimant, nec quaerere volunt. Tria sunt item ve-

---

est, viam fidei tenendo cupimus pervenire. Si autem in hac vita isti esse putantur vel fuisse, id verum esse non mihi videtur: non quia in hac vita nihil veri omnino inveniri potest quod mente cernatur, non fide credatur, sed quia tantum est quidquid est, ut non faciat beatissimos. Neque enim quod dicit Apostolus, *Videmus nunc per speculum in aenigmate*, et, *Nunc scio ex parte* (1. Cor. 13, 12), non cernitur mente. Cernitur plane, sed beatissimos nondum facit. Illud enim beatissimos facit, quod dicit: *Tunc autem facie ad faciem*, et *tunc cognoscam sicut et cognitus sum*. Qui hoc invenerunt ipsi dicendi sunt in beatitudinis possessione consistere, ad quam ducit via fidei, quam tenemus et quo credendo cupimus pervenire. Sed quinam sint illi beatissimi, qui jam sunt in ea possessione quo ducit haec via, magna quaestio est. Et angeli quidem sancti quod ibi sint, nulla quaestio est. Sed de sanctis hominibus jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, merito quaeritur. Jam enim corpore quidem corruptibili, quo anima aggravatur, exuti sunt, sed adhuc exspectant etiam ipsi redemptionem corporis sui et caro eorum requiescit in spe, nondum in futura incorruptione clarescit. Sed utrum ad contemplandam cordis oculis veritatem, sicut dictum est, *facie ad faciem*, nihil ex hoc minus habeant, non hic locus est disputando requirere".

lut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari. Quae si per se ipsa considerentur, primum semper sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio. Nam intelligere magna et honesta vel etiam divina, beatissimum est [1]). Intelligere autem superflua, nihil nocet; sed fortasse discere nocuit, cum tempus necessariorum occuparent. Ipsa etiam noxia non intelligere, sed facere aut pati miserum est. Non enim si quis intelligat, quomodo possit inimicus sine suo periculo occidi, intelligentia ipsa ac non cupiditate reus est: quae si absit, quid innocentius dici potest? Credere autem tunc est culpandum, cum vel de Deo indignum aliquid creditur, vel de homine facile creditur. In ceteris vero rebus si quis quid credit, si se id nescire intelligat, nulla culpa est. Credo enim sceleratissimos conjuratos virtute Ciceronis quondam interfectos: atqui id non solum

---

[1]) „Item, prosequitur Augustinus l. c. in retract., quod dixi, *Nam scire magna et honesta vel etiam beatissimum est,* ad eandem beatitudinem referre debemus (cf. adnot. praecedentem). In hac enim vita quantumcunque id sciatur, nondum est beatissimum; quoniam incomparabiliter longe est amplius quod inde nescitur".

nescio, sed etiam nullo pacto me scire posse, certo scio. Opinari autem duas ob res turpissimum est: quod et discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modo illud disci potest; et per se ipsa temeritas non bene affecti animi signum est. Nam etiam si hoc ipsum quod de Cicerone dixi, scire se quisquam arbitratur, quamquam nihil eum impediat a discendo, quia res ipsa nulla scientia teneri potest: tamen quod non intelligit multum interesse utrum aliquid mentis certa ratione teneatur, quod intelligere dicimus, an famae vel literis credendum posteris utiliter commendetur; profecto errat, neque quisquam error turpitudine caret. Quod intelligimus igitur, debemus rationi: quod credimus, auctoritati [1]): quod opinamur, er-

---

[1]) Haec verba s. Doctor retractans ita scribit (retract l. 1. c. 14. n. 3): „Quod dixi, *Multum interesse* etc.. et paulo post: *Quod scimus igitur, debemus rationi; quod credimus auctoritati:* non sic accipiendum est, ut in sermone usitatiore vereamur nos dicere scire, quod idoneis testibus credimus. Proprie quippe cum loquimur, id solum scire dicimur, quod mentis firma ratione comprehendimus. Cum vero loquimur verbis consuetudini aptioribus, sicut loquitur etiam divina Scriptura, non dubitemus dicere scire nos, et quod percepimus nostri corporis sensibus et quod fide dignis credimus testibus, dum tamen inter haec et illud quid distet intelligamus“.

rori. Sed intelligens omnis etiam credit; credit omnis et qui opinatur: non omnis qui credit intelligit; nullus qui opinatur intelligit. Haec ergo tria si ad illa quinque hominum genera, quae paulo ante commemoravimus, referantur; id est, duo probanda quae priora posuimus, et tria reliqua vitiosa; invenimus primum beatorum genus ipsi veritati credere: secundum autem studiosorum amatorumque veritatis auctoritati. In quibus duorum generibus laudabiliter creditur. In primo autem vitiosorum, id est, eorum qui opinantur se scire quod nesciant, est profecto vitiosa credulitas. Cetera duo improbanda genera nihil credunt, et illi qui verum quaerunt cum desperatione inveniendi, et illi qui omnino non quaerunt. Et hoc duntaxat in rebus ad aliquam pertinentibus disciplinam. Nam in alio vitae actu, prorsus nescio quo pacto possit homo nihil credere. Quamquam in illis etiam, qui se in agendo probabilia sequi dicunt, scire potius nihil posse, quam nihil credere, volunt videri. Quis enim quod probat non credit? aut quomodo est illud quod sequuntur, si non probatur, probabile? Quare duo genera possunt esse adversantium veritati: unum eorum, qui scientiam tantum oppugnant, non fidem; alterum eorum, qui utrumque condemnant:

qui tamen utrum in rebus humanis inveniri possint, rursus ignoro. Haec dicta sunt, ut intelligeremus nos retenta fide, illarum etiam rerum, quas nondum comprehendimus, a temeritate opinantium vindicari. Nam qui dicunt nihil esse credendum nisi quod scimus, id unum cavent nomen opinationis, quod fatendum est turpe ac miserrimum: sed si diligenter considerent plurimum interesse, utrum se scire quis putet, an quod nescire se intelligit, credat aliqua auctoritate commotus: profecto erroris et inhumanitatis atque superbiae crimen vitabit.

CAPUTX XII.

Quam necessaria fides in societate humana sit. Tutissimum est obtemperari sapientibus.

26. Quaero enim, si quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant. Non enim ratione ullo pacto sciri potest: sed interposita matris auctoritate de patre creditur: de ipsa vero matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius potest aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, et

sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quis enim non videat pietatem, nisi ita sit, sanctissimum generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit, quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent? Quis contra non exterminandum judicaverit, qui veros fortasse parentes minime dilexerit, dum ne falsos diligat metuit? Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanae societatis incolume remanere, si nihil credere statuerimus, quod non possumus tenere perceptum [1]).

---

[1]) Argumento hoc Patres passim libenterque utuntur, quo ostendant fidem generatim non solum non esse contra rationem, verum etiam secundum leges naturae rationalis et plane neccessariam. Quod si fides hominum testimonio nixa est plane prudens, secundum leges rationis, imo persaepe necessaria, invicte infertur multo magis prudens et secundum rationis leges imo et necessarium esse Deo revelanti credere. „Sed cur non credis? interrogat Theophylus antiochenus Autolycum (l. 1. n. 8). An ignoras rebus omnibus fidem praeire? Quis enim agricola metere potest, nisi prius semen terrae crediderit, aut quis mare transmittere, nisi prius seipse rati credat et gubernatori? Quis autem aegrotans sanari potest, nisi prius seipse medico crediderit, aut quam artem quis aut disciplinam ediscere potest, nisi se prius tradi-

27. Sed nunc accipe, quod jam facilius me tibi persuasurum esse confido. Cum de

---

derit et crediderit magistro? Igitur si terrae credit agricola, si navigaturus rati, si agrotus medico, non vis tu credere te Deo (scil. per fidem) tot ac tantis ab eo pignoribus acceptis?" Ita vero tuetur **Arnobius** fidem christianorum (adv. gentes l. 2. n. 8 sqq.) „Quonian ridere nostram fidem consuestis atque ipsam credulitatem facetiis jocularibus lancinare, dicite, o festivi et meraco sapientiae tincti et saturi potu, estne operis in vita negotiosum aliquod atque actuosum genus, quod non fide praeeunte suscipiant, sumant atque aggrediantur actores? . . . Quid illa de rebus ab humana cognitione sepositis, quae conscribitis ipsi, quae lectitatis, occulata vidistis inspectione et manibus tractata tenuistis? Nonne vestrum quicunque est huic vel illi credit auctori? . . . Cum igitur comperti nihil habeatis et cogniti, omniaque illa, quae scribitis et librorum comprehenditis millibus, credulitate asseveratis duce: quaenam haec est judicatio tam injusta, ut nostram derideatis fidem, quam vos habere conspicitis nostra in credulitate communem? etc." Pluribus hoc argumentum exponit **Eusebius** caesariensis, praepar. evang. l. 1. c. 5. „Quid mirum, inquit **Rufinus** comment. in symb. ap. n. 3, si accedentes ad Deum credere nos primo omnium profitemur, cum sine hoc nec ipsa exigi possit vita communis. Haec autem idcirco in principiis praemisimus, quia pagani nobis objicere solent, quod religio nostra, quia rationibus deficit, in sola credendi persuasione consistat; et ideo ostendimus nec agi nec stare aliquid posse, nisi praecesserit vis credendi. Denique et matrimonia contrahuntur, quia creditur

religione, id est, cum de colendo atque intelligendo Deo agitur, ii minus sequendi sunt,

---

successura posteritas; et pueri discendis artibus traduntur, quia magistrorum in discipulos transfundenda creditur disciplina: et imperii insignia unus suscipit, dum credit sibi populos et urbes et armatum etiam exercitum pariturum. Quod si haec singula, nisi prius crediderit futura, nullus aggreditur, quomodo non multo magis ad agnitionem Dei credendo veniatur?" Praeclare vero Theodoretus (de graec. affect. curat. s. 1) inductione ostendit „Fidem communem quandam rem esse omnibus, et qui videlicet artem quampiam discere cupiant et qui navigent et qui agriculturae inserviant medicisve adhaereant . . . . Insulsum est igitur, concludit, nec ferendum, ceterarum quidem cunctarum artium magistris convenire scientiam, fidemque discentibus, at in sola rerum divinarum doctrina inversum ordinem esse, ita ut ante fidem scientia exigatur." Nec s. Thomas hanc rationem spernit ut patet ex opusculo infra posito n. 2. Idem iterum inculcantem audiemus infra Augustinum in op. de fide rerum, quae non videntur n. 4 ss. Praetermittere autem non possumus quae scribit confess. l. 6. c. 5: „Paulatim tu, Domine, manu mitissima et misericordissima pertractans et componens cor meum, consideranti quam innumerabilia crederem, quae non viderem, neque cum gererentur adfuissem, sicut tam multa in historia gentium, tam multa de locis atque urbibus, quae non videram, tam multa amicis, tam multa medicis, tam multa hominibus aliis atque aliis, quae nisi crederentur, omnino in hac vita nihil ageremus, postremo, quam inconcusse fixum fide retinerem, de quibus parentibus ortus essem, quod scire non possem, nisi

qui nos credere vetant, rationem promptissime pollicentes. Nam nemini dubium est, omnes homines aut stultos, aut sapientes esse [2]). Nunc autem sapientes voco, non cor-

---

audiendo credidissem: persuasisti mihi, non qui crederent libris tuis, quos tanta in omnibus fere gentibus auctoritate fundasti, sed qui non crederent esse culpandos, nec audiendos esse, si qui forte mihi dicerent: Unde scis illos libros unius veri et veracissimi Dei spiritu esse humano generi ministratos?“ Cf. Walemburg. de perpetua probatione fidei per testes cc. 9, 29; Civiltà cathol. serie 1. vol. 6. p. 36 ss.

[2]) De hisce verbis haec in retract. l. 1. c. 14. n. 4. legimus: „Item quod dixi, *Nemini dubium est, omnes homines aut stultos esse aut sapientes*, potest videri contrarium esse illi quod legitur in l. 3. de libero arbitrio (c. 24), *Quasi vero natura humana praeter stultitiam et sapientiam nullam mediam recipiat affectionem.* Sed illud ibi dictum est, ubi de primo homine quaerebatur, utrum sapiens fuerit factus an stultus an neutrum: quoniam nullo modo stultum dicere poteramus, qui sine vitio factus est, cum sit stultitia magnum vitium, et sapientem quomodo diceremus, qui potuit seduci, non satis apparebat. Ideoque ad compendium dicere volui, *Quasi vero natura humana praeter stultitiam et sapientiam nullam mediam recipiat affectionem.* Intuebar quippe etiam parvulos, quos licet confiteamur trahere originale peccatum, tamen nec sapientes nec stultos possumus proprie dicere, nondum utentes libero arbitrio seu bene seu male. Nunc autem aut sapientes aut stultos homines esse dixi, eos volens intelligi qui

datos et ingeniosos homines, sed eos quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis Deique firmissime percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresque congruentes: ceteros autem, cujusque modi artibus inertiisque affecti sint, quolibet victu probandi sive improbandi, stultorum in numero deputaverim. Quae cum ita sint, quis mediocriter intelligens non plane viderit, stultis utilius atque salubrius esse praeceptis obtemperare sapientium, quam suo judicio vitam degere? Nam omne factum, si recte factum non est, peccatum est: nec recte factum esse ullo modo potest, quod non a recta ratione proficiscitur. Porro recta ratio est ipsa virtus. Cui autem hominum virtus, nisi sapientis animo praesto est? Solus igitur sapiens non peccat. Stultus ergo omnis peccat, nisi in iis factis, in quibus sapienti obtemperaverit: a recta enim ratione talia facta proficiscuntur, nec, ut ita dicam, dominus sui facti stultus existimandus est, cum est tamquam instrumentum ministeriumque sapien-

---

jam ratione utuntur, qua discernuntur a pecoribus, ut homines sint: sicut dicimus, beatos esse omnes homines velle. Numquid enim in haec sententia tam vera atque manifesta metuimus ne intelligantur et parvuli, qui hoc adhuc velle non possunt'.

tis. Quare si omnibus hominibus non peccare quam peccare melius est; melius profecto stulti omnes viverent, si servi possent esse sapientium. Atque hoc si in rebus minoribus, ut in mercando vel colendo agro, in uxore ducenda, in suscipiendis educandisque liberis, in ipsa denique re familiari administranda expedire nemo ambigit; multo magis in religione. Nam et res humanae promptiores ad dignoscendum sunt, quam divinae; et in quibuscumque sanctioribus et praestantioribus, quo majus eis obsequium cultumque debemus, eo sceleratius periculosiusque peccatur. Nihil igitur nobis restare amodo vides, quamdiu stulti sumus, si nobis vita optima et religiosa cordi est, nisi ut quaeramus sapientes, quibus obtemperando dominationem stultitiae neque ita multum sentire, dum inest nobis, et evadere aliquando possimus.

CAPUT XIII.

Recte in Ecclesia institutum est, ut accedentibus ad religionem fides persuadeatur ante omnia.

28. Hic rursus oritur difficillima quaestio. Quonam enim modo stulti sapientem invenire poterimus, cum hoc nomen, tametsi nemo fere audeat palam, plerique tamen ex obliquo sibi vindicant, cum de rebus ipsis, quarum

cognitione constat sapientia, ita inter se dissentiant, ut aut nullum eorum, aut certum unum necesse sit esse sapientem? Sed quinam iste sit, cum ab stulto requiratur, quo pacto queat dignosci plane atque percipi, omnino non video. Neque enim signis quibuslibet cognoscere aliquid potest, nisi illud ipsum, cujus ea signa sunt, noverit. Atqui sapientiam stultus ignorat. Non enim ut aurum et argentum ceteraque id genus et cognoscere cum videas, et non habere concessum est; ita sapientiam mentis ejus oculo, qui ea careat, videri fas est. Sensu enim corporis quaecumque attingimus, forinsecus nobis offeruntur: et ideo licet quoque res alienas oculis cernere, cum earum vel ejus generis nos nihil habeamus. Quod autem intellectu capitur, intus apud animum est: nec id habere quidquam est aliud, quam videre. Caret autem stultus sapientia: non igitur novit sapientiam. Non enim oculis eam posset videre: non autem potest videre et non habere, neque habere ac stultus esse. Nescit hanc igitur, et dum nescit, in alio loco cognoscere non potest. Non potest, quamdiu stultus est, quisquam certissima cognitione invenire sapientem, cui obtemperando tanto stultitiae malo liberetur.

29. Huic igitur tam immani difficultati, quoniam de religione quaerimus, Deus solus mederi potest, quem nisi et esse et humanis mentibus opitulari credimus, nec quaerere quidem ipsam veram religionem debemus. Quid enim tandem tanto molimine investigare cupimus? Quid optamus attingere? Quo pervenire desideramus? Eone, quod esse aut ad nos pertinere non credimus? Nihil est tali mente perversius. Tunc cum beneficium a me petere non auderes, aut certe impudenter auderes, inventionem religionis postulatum venis, cum Deum neque esse, neque si sit, curare nos putes? Quid si tanta res est, quae nisi sedulo atque omnibus viribus quaesita nequeat reperiri? Quid si ipsa difficillima inventio, ad capiendum quod inventum erit, mentem quaerentis exercet? Quid enim oculis nostris hac luce jucu ndius et familiarius? Quam tamen perpetiatque tolerare post diuturnas tenebras nequeunt. Quid exhausto aegrotatione corpori accomodatius quam cibus et potio? Videmus tamen convalescentes refrenari atque cohiberi, ne staturitati valentium committere sese audeant, cibisque ipsis agere, ut ad illum morbum, quo eos repudiabat, revertantur. De convalescentibus loquor: quid, ipsos aegrotantes nonne urgemus ut

aliquid sumant? In quo profecto nobis cum tanta molestia non obtemperarent, si se illum morbum evasuros esse non crederent. Quando ergo tu te operosissimae ac laboriosissimae inquisitioni dabis? Quando tantam, quanta ipsa res digna est, curam negotiumque tibi audebis imponere, cum id quod quaeris, esse non credas? Recte igitur catholicae disciplinae majestate institutum est, ut accedentibus ad religionem fides persuadeatur ante omnia.

CAPUT XIV.

Christo credendum esse docent omnes etiam haeretici: ipse vero maxime exegit fidem.

30. Itaque ille haereticus (si quidem de his nobis sermo est, qui se christianos dici volunt), quam mihi rationem afferat, quaeso te? Quid est, unde a credendo veluti a temeritate revocet? Si nihil me credere jubet: hanc ipsam veram religionem ullam in rebus humanis esse non credo, quam cum esse non credo, non quaero. At ille, ut opinor, quaerenti monstraturus est: ita enim scriptum est: *Quaerens inveniet.* (Matth. 7, 8). Ad eum igitur, qui me vetat credere, non venirem, nisi aliquid crederem. Estne ulla ma-

jor dementia, quam ut ei sola, quae nulla scientia subnixa est, fide displiceam, quae ad eum ipsum me sola perduxit?

31. Quid quod omnes haeretici Christo nos credere hortantur? Possuntne magis sibi adversari? In quo dupliciter urgendi sunt. Primum quaerendum ab his, ubi sit ratio, quam pollicebantur, ubi objurgatio temeritatis, ubi praesumptio scientiae. Si enim turpe est sine ratione cuiquam credere, quid exspectas, quid satagis, ut alicui sine ratione credam, quo facilius tua ratione duci possim? An firmum aliquid superaedificabit ratio tua fundamento temeritatis? Secundum illos loquor, quibus credendo displicemus. Nam ego credere ante rationem, cum percipiendae rationi non sis idoneus, et ipsa fide animum excolere excipiendis seminibus veritatis, non solum saluberrimum judico, sed tale omnino, sine quo aegris animis salus redire non possit. Quod illis cum deridendum et plenum temeritatis videtur, profecto ut Christo credamus, agunt impudenter. Deinde fateor me jam Christo credidisse et in animum induxisse, id esse verum, quod ille dixerit etiamsi nulla ratione fulciatur: hoc, haeretice, principio me docturus es? Sine paululum mecum ipse considerem (quoniam Christum ipsum,

quomodo apparere hominibus voluit, qui istis etiam vulgaribus oculis visus esse praedicatur, ego non vidi), quibus de illo crediderim, ut ad te jam tali fide praestructus accedam. Nullis me video credidisse, nisi populorum atque gentium confirmatae opinioni ac famae admodum celeberrimae: hos autem populos Ecclesiae catholicae mysteria usquequaque occupasse. Cur non igitur apud eos potissimum diligentissime requiram quid Christus praeceperit, quorum auctoritate commotus, Christum aliquid utile praecepisse jam credidi? Tune mihi melius expositurus es quid ille dixerit, quem fuisse aut esse non putarem, si abs te mihi hoc commendaretur esse credendum? Hoc ergo credidi, ut dixi, famae celebritate, consensione, vetustate roboratae. Vos autem et tam pauci et tam turbulenti et tam novi, nemini dubium est, quam nihil dignum auctoritate praeferatis. Quae igitur ista tanta dementia est? Illis crede, Christo esse credendum; et a nobis disce quid dixerit? Cur obsecro te? Nam si illi deficerent nec me quidquam docere possent, multo facilius mihi persuaderem, Christo non esse credendum, quam de illo quidquam, nisi ab iis, per quos ei credidissem, discendum. O ingentem confidentiam vel potius ineptiam!

Ego te doceo quid Christus praeceperit, cui credis. Quid si non ei crederem, num aliquid de illo me docere posses? Sed oportet, inquit, ut credas. Num vobis eum commendantibus? Non, inquit: nam nos illos, qui ei credunt, ratione ducimus. Cur igitur illi credam? Quia fama fundata est. Utrum per vos, an per alios? Per alios, inquit. Illis ergo credam, ut tu me doceas? Deberem fortasse; nisi me hoc illi praecipue monerent, ut omnino ad te non accederem: dicunt enim perniciosas vos habere doctrimas. Respondebis: Mentiuntur. Quomodo igitur eis de Christo credam, quem non viderunt; de te non credam, quem nolunt videre? Scriptis, ait, crede. At scriptura omnis, si nova et inaudita proferatur vel commendetur a paucis, nulla confirmante ratione, non ei, sed illis qui eam proferunt, creditur. Quamobrem Scripturas istas si vos profertis, tam pauci et incogniti, non libet credere. Simul etiam contra promissum facitis, fidem potius imperando, quam reddendo rationem. Rursus me ad multitudinem famamque revocabis. Cohibe tandem pertinaciam, et nescio quam indomitam propagandi nominis libidinem: et mone potius, ut hujus multitudinis primates quaeram, et quaeram diligentissime ac laboriosissime, ut ab his

potius de his literis aliquid discam, qui si non essent, discendum omnino esse nescirem. Tu vero in latebras tuas redi, nec quidquam insidiare sub nomine veritatis, quam conaris eis adimere, quibus auctoritatem ipse concedis.

32. Si autem Christo etiam credendum negant, nisi indubitata ratio reddita fuerit, christiani non sunt. Nam id adversus nos pagani quidam dicunt, stulte quidem, sed non sibi adversi, nec repugnantes. Hos vero quis ferat ad Christum se pertinere profiteri, qui nisi apertissimam rationem stultis de Deo protulerint, nihil credendum esse contendunt? At ipsum videmus quantum illa, cui et ipsi credunt, docet historia, nihil prius neque fortius quam credi sibi voluisse: cum illi nondum essent idonei, cum quibus ei res esset, ad divina percipienda secreta. Quid enim aliud agunt tanta et tam multa miracula, ipso etiam dicente illa fieri non ob aliud, nisi ut sibi crederetur? Fide ille stultos ducebat, vos ratione ducitis. Clamabat ille ut crederetur, vos reclamatis. Laudabat credentes ille, vos objurgatis. Nisi vero, aut in vinum aquam converteret, ut alia omittam, si nihil tale facientem, sed docentem homines sequi possent: aut nihil pendenda vox illa

est: *Credite Deo, et mihi credite.*" (Joan. 14, 1), aut temeritatis ille culpandus est, qui eum in domum suam venire noluit, solo ejus imperio pueri sui morbum credens esse cessurum. Ergo ille afferens medicinam, quae corruptissimos mores sanatura esset, miraculis conciliavit auctoritatem, auctoritate meruit fidem, fide contraxit multitudinem, multitudine obtinuit vetustatem, vetustate roboravit religionem: quam non solum haereticorum ineptissima novitas fraudibus agens, sed nec gentium quidem veternosus error violenter adversans, aliqua ex parte convelleret.

CAPUT XV.

Sapientia Dei incarnata est via ad religionem commodissima.

33. Quamobrem tametsi docere non valeo, monere tamen non desino: ut quoniam multi se sapientes videri volunt, neque utrum sint stulti, dignoscere facile est; omni intentione votisque omnibus, gemitibus denique vel etiam, si fieri potest, fletibus Deum deprecere, ut te ab erroris malo liberet, si tibi beata vita cordi est. Quod facilius fiet, si praeceptis ejus, quae tanta Ecclesiae catholicae auctoritate firmata esse voluit, libens

obtemperes. Cum enim sapiens sit Deo ita mente conjunctus, ut nihil interponatur quod separet; Deus enim est veritas; nec ullo pacto sapiens quisquam est, si non veritatem mente contingat: negare non possumus inter stultitiam hominis et sincerissimam Dei veritatem medium quiddam interpositam esse hominis sapientiam. Sapiens enim, quantum datum est, imitatur Deum: homini autem stulto, ad imitandum salubriter nihil est homine sapiente propinquius: quem quoniam, ut dictum est, intelligere ratione non facile est, oportebat quaedam miracula ipsis oculis admoveri, quibus utuntur stulti multo quam mente commodius, ut commotorum auctoritate hominum prius vita moresque purgarentur, et ita rationi accipiendae habiles fierent. Cum igitur et homo esset imitandus, et non in homine spes ponenda; quid potuit indulgentius et liberalius divinitus fieri, quam ut ipsa Dei sincera, aeterna, incommutabilisque Sapientia, cui nos haerere oportet, suscipere hominem dignaretur? Qui non modo illa faceret, quibus ad sequendum Deum invitaremur; sed etiam illa pateretur, quibus a sequendo Deo deterrebamur. Nam cum adipisci certissimum ac summum bonum nemo possit, nisi id plene perfecteque dilexerit; quod

nullo pacto fiet, quamdiu mala corporis atque fortuita formidantur: ille nascendo mirabiliter et operando conciliavit caritatem; moriendo autem et resurgendo exclusit timorem. Jamvero talem se in ceteris rebus omnibus praebuit, quas persequi longum est, ut et divina clementia quo porrigi, et humana infirmitas quo possit evehi sentiremus.

CAPUT XVI.

Auctoritas divinitus est constituta, quae partim miraculis partim sequentium multitudine movet ad fidem.

34. Haec est, crede, saluberrima auctoritas, haec prius mentis nostrae a terrena inhabitatione suspensio, haec in Deum verum ab hujus mundi amore conversio. Sola est auctoritas, quae commovet stultos, ut ad sapientiam festinent. Quamdiu intelligere sincera non possumus, auctoritate quidem decipi miserum est: sed certe miserius non moveri. Si enim Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum. Sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimae pulchritudinis fonte manare credendum est, et interior nescio quae conscientia Deum quaerendum Deoque serviendum meliores

quosque animos quasi publice privatimque hortatur; non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum. Haec autem, seposita ratione, quam sinceram intelligere, ut saepe diximus, difficillimum stultis est, dupliciter nos movet, partim miraculis, partim sequentium multitudine. Nihil horum est necessarium sapienti; quis negat? Sed id nunc agitur, ut sapientes esse possimus, id est, inhaerere veritati: quod profecto sordidus animus non potest. Sunt autem sordes animi, ut brevi explicem, amor quarumlibet rerum, praeter animum et Deum: a quibus sordibus quanto est quis purgatior, tanto verum facilius intuetur. Verum igitur videre velle, ut animum purges, cum ideo purgetur ut videas, perversum certe atque praeposterum est. Homini ergo non valenti verum intueri, ut ad id fiat idoneus, purgarique se sinat, auctoritas praesto est; quam ut paulo ante dixi, partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit. Miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil est populis aptius et omnino stultis hominibus, quam id quod sensibus admovetur. Sed rursus haec

in duo dividuntur: quaedam enim sunt quae solam faciunt admirationem; quaedam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volantem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi praeter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem gravi et desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit convalescat, admirationem sanitatis suae, sanantis etiam caritate superabit. Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi; incessus claudis, caecis visus, surdis auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt: ita quaedam corpori manifestiore beneficio, quaedam vero menti occultiore signo, et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant: sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas. Cur, inquis, ista modo non fiunt? Quia non moverent, nisi mira essent: at si solita essent, mira non essent. [1]) Nam

---

[1]) Hisce verbis hanc adnotationem subjicit s. doctor (retract l. 1. c. 14. n. 5): „Alio loco cum mi-

diei et noctis vices, et constantissimum ordinem rerum coelestium, annorum quadrifariam conversionem, decidentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem lucis, colorum, sonorum, odorum saporumque varietates, da qui primum videat atque sentiat, cum quo tamen loqui possimus, hebescit obruiturque miraculis: nos vero haec omnia, non cognoscendi

---

racula commemorassem, quae Dominus Jesus fecit, cum hic esset in carne, adjunxi dicens, *Cur, inquies, ista modo non fiunt?* Atque respondi, *quia non moverent nisi mira essent; si autem solita essent, mira non essent.* Hoc autem dixi, quia non tanta, nec omnia modo, non quia nulla fiunt etiam modo." Praeter hanc rationem, quare modo non tot miracula fiant ut in Ecclesiae exordiis, alia reddi potest, quam ipse Augustinus n. 32. non obscure significat. Ideo enim Ecclesiae nascenti Christus concessit miraculorum charisma, ut ei docendi conciliaret auctoritatem. Cum vero Ecclesiae adultae docendi auctoritatem satis concilient ipsa ejus catholicitas seu per orbem laetissima diffusio, veneranda seculorum canities, uberrimi sanctissimique fructus quos ubique protulit, virginitatis lilia rosaeque martyriorum, quibus illustratur, immota in acerrimis procellis firmitas etc., praerogativae quibus Ecclesia nascens, ut per se patet, nondum poterat refulgere, imminuta est miraculorum necessitas, quae tamen Deus nunquam Ecclesiae suae penitus denegavit, ne et hac nota et signo viventis et inhabitantis in ea s. Spiritus destitueretur.

facilitate, quid enim causis horum obscurius? sed certe sentiendi assiduitate contemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissime, ut his multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur auctoritas.

CAPUT XVII.

Morum sanctitas per Ecclesiam inducta huic auctoritatem conciliat.

35. Mores autem quilibet tantum valent ad obtinendas hominum mentes, ut etiam quae in his prava sunt, quod fere superantibus libidinibus evenit, improbare citius et detestari, quam deserere aut mutare possimus. Parumne consultum rebus humanis arbitraris, quod nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant, sed imperitum etiam vulgus marium feminarumque in tam multis diversisque gentibus et credit et praedicat? Quod continentia usque ad tenuissimum victum panis et aquae, et non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies perpetuata jejunia; quod castitas usque ad conjugii prolisque

contemptum; quod patientia usque ad cruces flammasque neglectas; quod liberalitas usque ad patrimonia distributa pauperibus; quod denique totius hujus mundi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur? Pauci haec faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt: sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremo populi: populi suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine provectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis, accusant. Hoc factum est divina providentia per prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per sanctorum praedicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus pro temporum opportunitate miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summae

profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi praecolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto labore (*forte* robore) praeditae auctoritati velle resistere? Et si unaquaeque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariae superbiae plenius, quam divinorum sacramentorum libros, et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare?

CAPUT XVIII.

Exhortatur s. doctor Honoratum, ut se disciplinae Ecclesiae tradat.

36. Quamobrem si quid te vel ratio vel oratio nostra commovit, et si veram, ut credo, curam tui geris velim me audias, et bonis praeceptoribus catholicae christianitatis te pia fide, alacri spe, simplici caritate committas: Deumque ipsum, cujus unius et bonitate facti sumus, et justitia poenas luimus, et clementia liberamur, orare non cesses. Ita tibi neque praecepta et disputationes doctissimorum hominum et vere christianorum,

neque libri, neque serenae ipsae cogitationes defuerint, quibus facile quod quaeris invenias. Nam istos verbosos et miseros (quid enim aliud mitius dixerim?) penitus desere: qui dum nimis quaerunt unde sit malum, nihil reperiunt nisi malum. In qua quaestione saepe auditores erigunt ad quaerendum: sed ea docent excitatos, ut vel dormire semper satius sit, quam illo modo evigilare. De lethargicis enim phreneticos faciunt: inter quos morbos, cum sit uterque plerumque mortiferus, hoc tamen interest, quod lethargici sine aliena vexatione moriuntur; phreneticus autem multis sanis, et eis potissimum qui volunt subvenire, metuendus est. Nam neque Deus mali auctor est, nec unquam eum quidquam fecisse poenituit, nec ullius commotionis animi tempestate turbatur, nec terrae particula regnum ejus est: nulla flagitia vel scelera probat aut imperat, nunquam mentitur. Haec enim atque hujusmodi nos movebant, cum ea magnis invectionibus quaterent et hanc esse veteris Testamenti disciplinam insimularent: quod omnino falsissimum est. Itaque illos recte reprehendere ista concedo. Quid ergo didici? Quid putas, nisi cum ista reprehenduntur, disciplinam catholicam non reprehendi? Ita quod apud eos verum didice-

ram, teneo: quod falsum putaveram, respuo. Sed et alia multa me docuit Ecclesia catholica, quo illi homines exsangues corporibus, sed crassi mentibus, aspirare non possunt: Deum scilicet non esse corporeum, nullam ejus partem corporeis oculis posse sentiri, nihil de substantia ejus atque natura ullo modo esse violabile aut commutabile, aut compositum, aut fictum: quae si mihi concedis (non enim aliter de Deo sentiendum est), omnia illorum machinamenta subversa sunt. Illud vero quomodo sit, ut nec Deus malum genuerit aut fecerit, nec ulla sit fueritve unquam natura atque substantia, quam non Deus aut genuerit aut fecerit, et tamen a malo nos liberet; tam necessariis rationibus approbatur, ut dubitari omnino non possit: praesertim tibi atque talibus; si tamen bono ingenio pietas et pax quaedam mentis accedat, sine qua de tantis rebus nihil prorsus intelligi potest. Et hic non fama de fumo est, et nescio qua fabella persica, cui satis est aurem accommodare, et animum non subtilem, sed plane puerilem. Longe omnino, longe se aliter, non ut manichaei desipiunt, veritas habet. Sed quoniam iste sermo noster multo processit longius quam putabam, hic finem libro faciamus: in quo memineris volo,

nondum me manichaeos coepisse refellere, et illas nugas nondum invasisse: neque de ipsa Catholica magnum aliquid aperuisse; sed voluisse tantummodo eruere tibi, si possem, falsam opinionem de veris christianis malitiose aut imperite nobis insinuatam, et erigere ad magna quaedam et divina discenda. Quare hoc volumen ita sese habeat: placatiore autem animo tuo facto, ero fortasse in ceteris promptior [1]).

---

[1]) „Haec non ita dixi, inquit Augustinus l. 1. retract c. 14. n. 6, quasi nihil contra manichaeos adhuc scripsissem, vel nihil de doctrina catholica mandassem literis, cum tot superius edita volumina de utraque re non me tacuisse testentur: sed in hoc libro ad illum scripto nondum manichaeos refellere coeperam et illas nugas nondum invaseram, neque de ipsa Catholica magnum aliquid aperueram: quoniam sperabam hoc initio facto, ad eum ipsum me scripturum fuisse, quae hic nondum scripseram."

S. AURELII AUGUSTINI
HIPPONENSIS EPISCOPI
DE FIDE RERUM QUAE
NON VIDENTUR,
LIBER UNUS. [1]

CAPUT I.

In rebus humanis multa creduntur, quae non cernuntur oculis.

1. Sunt qui putant christianam religionem propterea ridendam potius quam tenendam, quia in ea non res quae videatur ostenditur, sed fides rerum, quae non videntur, hominibus imperatur. Nos ergo ad hos refellendos, qui prudenter sibi videntur nolle credere, quod videre non possunt, etsi non valemus humanis adspectibus monstrare divina quae credimus, tamen humanis menti-

---

[1]) Libellus hic scriptus videtur c. a. 399. In eo demonstrat s. doctor nos in christiana religione non culpabili temeritate sed laudabili fide credere res, quas oculis nostris non videmus.

bus etiam illa quae non videntur credenda esse monstramus. Ac primum isti, quos oculis carneis sic stultitia fecit obnoxios, ut quod per eos non cernunt, non sibi existiment esse credendum, admonendi sunt quam multa non solum credant, verum etiam sciant, quae talibus oculis videri non possunt. Quae cum sint innumerabilia in ipso animo nostro, cujus invisibilis est natura, ut alia taceam, fides ipsa qua credimus sive cogitatio, qua nos vel credere aliquid vel non credere novimus, cum prorsus aliena sit ab istorum conspectibus oculorum, quid tam nudum, tam clarum, quid tam certum est interioribus visibus animorum? Quomodo ergo credendum non est quod corporeis oculis non videmus, cum vel credere nos vel non credere, ubi corporeos oculos adhibere non possumus, sine ulla dubitatione videamus?

2. Sed, inquiunt, ista quae in animo sunt, cum possimus ipso animo cernere, non opus habemus per oculos corporis nosse: quae autem dicitis vos ut credamus, nec foris ostenditis, ut ea per oculos corporis noverimus, nec intus in animo nostro sunt, ut ea cogitando videamus. Sic ista dicunt, quasi quisquam credere juberetur, si jam sibi praesentatum posset videre quod creditur. Ideo

utique debemus credere nonnulla etiam temporalia, quae non videmus, ut aeterna etiam mereamur videre, quae credimus. Sed quisquis es, qui non vis credere nisi quod vides, ecce praesentia corpora corporeis oculis vides, praesentes voluntates et cogitationes tuas, quia in animo tuo sunt ipso animo vides: dic mihi, obsecro te, amici tui erga te voluntatem quibus oculis vides? Nulla enim voluntas corporeis oculis videri potest. An vero etiam hoc vides animo tuo, quod in animo agitur alieno? Quod si non vides, quomodo amicali benevolentiae vicem rependis, si quod non potes videre, non credis. An forte dicturus es, alterius voluntatem per ejus opera te videre? Ergo facta visurus, et verba es auditurus, de amici autem voluntate id quod videri et audiri non potest crediturus. Non enim voluntas illa color est aut figura, ut oculis ingeratur, vel sonus aut cantilena, ut auribus illabatur; aut vero tua est, ut tui cordis affectione sentiatur. Restat itaque, ut nec visa, nec audita, nec apud te intus conspecta credatur, ne tua vita deserta sine ulla amicitia relinquatur, vel impensa tibi dilectio vicissim abs te non rependatur. Ubi est ergo quod dicebas, te credere non debere, nisi quod videres aut extrinsecus cor-

pore, aut intrinsecus corde? Ecce ex corde tuo, credis cordi non tuo; et quo nec carnis nec mentis dirigis aciem accommodas fidem. Amici faciem cernis corpore tuo, fidem tuam cernis animo tuo: amici vero non abs te amatur fides, si non in te mutuo illa sit fides, qua credas quod in illo non vides. Quamvis homo possit et fallere fingendo benevolentiam, tegendo malitiam: aut si nocere non cogitat, tamen exspectando a te aliquam commoditatem, simulat, quia caritatem non habet.

3. Sed dicis, ideo te credere amico, cujus videre cor non potes, quia in tuis tentationibus eum probasti, et cujusmodi animum erga te haberet in tuis periculis, ubi te non deseruit, cognovisti. Numquid ergo, ut amicorum probetur erga nos caritas, videtur tibi nostra optanda calamitas? Nec quisquam erit ex amicis certissimis felix, nisi fuerit adversis rebus infelix: ut videlicet explorato alterius amore non fruatur, nisi suo dolore vel timore crucietur. Et quomodo in habendis veris amicis optari ea, non potius timeri felicitas potest, quam probare nisi infelicitas non potest? Et tamen verum est haberi posse amicum etiam in rebus prosperis, probati autem certius in rebus adversis. Sed utique ut eum probes, periculis tuis nec te commit-

teres, nisi crederes. Ac per hoc cum te committis ut probes, credis antequam probes. Certe enim si rebus non visis credere non debemus[1]), quando quidem et nondum certius probatis amicorum cordibus credimus; et cum ea malis nostris bona probaverimus, etiam tunc eorum erga nos benevolentiam credimus potius, quam videmus: nisi quia tanta fides est, ut non incongruenter quibusdam oculis ejus nos judicemus videre quod credimus: cum propterea credere debeamus,, quia videre non possumus.

CAPUT II.

Fide de rebus humanis sublata quam horrenda confusio sequatur.

4. Si auferatur haec fides de rebus humanis, quis non attendat quanta earum perturbatio et quam horrenda confusio subsequatur? Quis enim mutua caritate diligetur ab aliquo, cum sit invisibilis ipsa dilectio, si

---

[1]) Merito ad h. l. editores maurini animadvertunt, eum esse perplexum et vitiatum; neque enim sibi bene cohaeret. Non displicet conjectura ab amico mihi proposita locum ita esse emendandum: Certe enim *sic* rebus non visis credere *nos* debemus etc.

quod non video, credere non debeo? Tota itaque peribit amicitia, quia non nisi mutuo amore constat. Quid enim ejus poterit ab aliquo recipere, si nihil ejus creditum fuerit exhiberi? Porro amicitia pereunte, neque connubiorum neque cognationum et affinitatum vincula in animo servabuntur; quia et in his utique amica consensio est. Non ergo conjugem conjux vicissim diligere poterit, quando se diligi, quia ipsam dilectionem non potest videre, non credit. Nec filios habere desiderabunt, quos vicissim sibi redditūros esse non credunt. Qui si nascantur et crescant, multo minus ipsi parentes suos amabunt, quorum erga se amorem in eorum cordibus, quia est invisibilis, non videbunt; si ea quae non videntur, non laudabili fide, sed culpabili temeritate creduntur. Quid jam de ceteris necessitudinibus dicam, fratrum, sororum, generorum atque socerorum, et qualibet consanguinitate et affinitate junctorum, si caritas incerta voluntasque suspecta est, et filiis parentum et parentibus filiorum, dum benevolentia non redditur debita, quia nec deberi putatur, quando in alio quae non videtur, esse non creditur? Porro si non ingeniosa, sed odiosa est ista cautela, ubi nos amari non credimus, quod amorem amantium non

videmus vicemque non rependimus, quibus eam nos debere mutuam non putamus: usque adeo res humanae perturbantur, si quod non videmus, non credamus, ut omnino funditus evertantur, si nullas credamus hominum voluntates, quas utique videre non possumus. Omitto dicere quam multa isti, qui nos reprehendunt, quia credimus quae non videmus, credant famae et historiae, vel de locis, ubi ipsi non fuerunt; nec dicant: Non credimus, quia non vidimus. Quoniam si hoc dicant, coguntur fateri incertos sibi esse parentes suos: quia et hinc aliis narrantibus, nec tamen quia jam praeteritum est id ostendere valentibus, crediderunt, nullum retinentes illius temporis sensum, et tamen aliis inde loquentibus adhibentes sine ulla dubitatione consensum: quod nisi fiat, incurratur necesse est adversus parentes infidelis impietas, dum quasi vitatur in his quae videre non possumus credendi temeritas. Si ergo non credentibus nobis quae videre non possumus, ipsa humana societas, concordia pereunte, non stabit; quanto magis est fides quamvis quae non videntur, rebus adhibenda divinis: quae si non adhibeatur, non amicitia quorumlibet hominum, sed ipsa summa religio violatur, ut summa miseria consequatur.

CAPUT III.

Indicia quae confirmant fidem christianam.

5. Sed amici hominis, inquies, erga me benevolentiam quamquam videre non possum, multis tamen indiciis indagare possum: vos autem quae vultis ut non visa credamus, nullis indiciis potestis ostendere. Interim non parum est, quod fateris quorundam indiciorum perspicuitate res aliquas, etiam quae non videntur, credi oportere: etiam sic enim constat, non omnia quae non videntur, non esse credenda; jacetque illud abjectum atque convictum, quod dicitur, ea quae non videmus, non debere nos credere. Multum autem falluntur, qui putant nos sine ullis de Christo indiciis credere in Christum [1]). Nam quae

---

[1]) Sicut gentiles ita et increduli nostrae aetatis calumniantur fidem sanae adversari rationi, illius laedere jura ejusque explicationem praepedire. Verum nihil hisce exceptionibus a veritate magis alienum, cum tenendum omnino sit fidem christianam 1) non solum sanae rationi non adversari sed *secundum rationem* esse, eamque 2) multipliciter juvare ac denique 3) revelatione et fide christiana homines ad novum altioremque provehi scientiae ordinem, in quo et per quem ad futuram gloriae claritatem praeparentur. Et revera fidem esse secundum rationem ea 1) omnia probant, quibus philosophi ostendunt, auctoritatem

sunt indicia clariora, quam ea quae nunc videmus praedicta et impleta? Proinde qui

---

fontem esse veri seu secundum rationem esse credere testibus fide dignis. Sed omnium testium maxime authenticus ille censeri debet qui est ipsa veritas. „Si Deo non credimus, inquit ad rem s. Ambrosius (l. 4. in Lucam n. 71), cui credimus? . . . . Si boni viri dicerent, nefas putaremus non credere.“ Et ante illum s. Cyprianus (de mortal. n. 6. cf. opusc. 4, 7): „Si tibi vir gravis et laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem stare in sermonibus atque in actibus suis scires. Nunc Deus tecum loquitur et tu mente incredula perfidus fluctuas.“ Probant 2) omnia ea, quibus Augustinus (h. l.) cum aliis Patribus (cf. annot. ad opusc. de utilit. cred. n. 26.) evincit nullam iniri conservarique posse societatem sive inter parentes et filios, sive inter conjuges, amicos, cives; sive inter reges et subditos absque fide. Si ergo secundum rationem est credere parentibus, amicis, regibus etc., secundum rationem quoque erit Deo credere, qui unus verus est pater ac rex noster. Merito proinde scribit s. Hieronymus (ep. 107. al. 7. n. 1): „Si non extorquet fidem *prudentia*, extorqueat saltem verecundia.“ Eoque magis 3) secundum rationem est Deo credere, quod summi momenti et theoretice et practice sit, accuratius nosse quae ad Deum spectant quaeque ejus sit circa homines voluntas, quae ejus decreta. Sed haec vel nullo modo vel nonnisi imperfecte cognosci possunt citra revelationem et fidem. Cf. 1. Cor. 2, 6 ss. Hinc s. Ambrosius (l. 3. de Abraham n. 21): „Quam indignum ut humanis testimoniis de aliis credamus, Dei oraculis de

putatis nulla esse indicia, cur de Christo credere debeatis quae non vidistis, attendite quae

---

se non credamus." Et iterum (Ep. 18.): „Coeli mysterium doceat me Deus ipse qui condidit, non homo qui seipsum ignoravit. Cui magis de Deo quam Deo credam?" S. Hilarius (de Trin. l. 1. n. 18): „Cum de rebus Dei erit sermo, concedamus cognitionem sui Deo, dictisque ejus pia veneratione famulemur. Idoneus enim sibi testis est, qui nisi per se cognitus non est." Cf. s. Augustinus de moribus Eccl. l. 1. c. 7; s. Thomas 2. 2. q. 2. a. 4; c. gent. l. 1. c. 4; l. 3. c. 152; de verit. q. 14. a. 10. Eatenus deinde 4) fides christiana rationis adversaria dici posset, quatenus illa vel laederet rationis jura, vel ratio fidei improbaret postulata. Neutrum vero affirmare licet. Neque enim a) impedit fides jus, qua pollet ratio, inquirendi in eas veritates, quae rationis ambitu continentur. Non impedit b) jus nil citra rationem sufficientem admittendi. Hoc adeo verum est, ut Tertullianus disserte pronunciet (l. 5. c. Marc. c. 1): „Nihil credam nisi nihil esse temere credendum." Innumera theologorum, Patrum summorumque pontificum hanc in rem adduci possent effata. Pauca sufficiant. Ita Theodoretus philosophos gentiles redarguit (s. 1. de cur. aff. graec.): „Quod si credulitatis ac fidei titulum accusatis (audivi enim vos hoc etiam usurpantes, quod dogmatum nostrorum nullam demonstrationem proferamus, solam vero fidem ac credulitatem insinuemus illis, quos docemus) apertissime doctrinam nostram calumniamini. Nos enim verissimis rebus, tamquam certissimis testibus, sermones nostros comprobamus." Quibus plane similia sunt, quae hic s. Augustinus tradit. „Fides, in-

videtis. Ipsa vos Ecclesia ore maternae dilectionis alloquitur. Ego, quam miramini per

---

quit Isidorus hispal. (Sentent. l. 2. c. 2. n. 2), nequaquam vi extorquetur, sed ratione atque exemplis suadetur." Et s. Bernardus contra Abaelardum (ep. 190. ad Innoc. II. c. 4): „Absit, absit ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia aestimatione pendulum et non magis totum, quod in ea est, certa et solida veritate subnixum, oraculis et miraculis divinitus persuasum, stabilitum et consecratum partu virginis, sanguine Redemptoris, gloria resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis." Denique auctor anonymus sed antiquus in confut. quarundam propos. pr. 16. (inter op. spuria s. Athan. Mig. 28, 1387): „Ac fidem, inquit, nominat (adversarius) inconsideratam noxiamque approbationem infirmorum nullisque demonstrationibus instructorum dogmatum. Credamne sine judicio *(ἀλόγως)*? Nec inquiram quidnam fieri possit, aut utile sit, aut deceat, aut Deo gratum, aut naturae congruum, aut veritati consonum, aut scopo accommodatum, aut mysterio consentaneum, aut pietate dignum sit? Ecqua utilitas erit mihi? Aut quis menti fructus, quae horum nihil secum reputavit, sed auditum quidem sono verborum obtulit, nullam vero dictorum cepit intelligentiam? etc." A Patribus non dissentit schola, cujus nomine audiatur s. Thomas Aq. (2. 2. q. 1. a. 4. ad 2): „Non enim quis crederet, nisi *videret* ea esse credenda vel propter evidentiam signorum sel propter aliquid hujusmodi." Hinc summus pontifex Pius IX. rationis jura tuens docet (Encycl. 9. Nov. *1846)*: „Humana ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum *diligenter inquirat opor-*

universum mundum fructificantem atque crescentem, qualem me conspicitis aliquando

---

tet, ut certo sibi constet, Deum esse locutum ac eidem, quemadmodum sapienter docet Apostolus, *rationabile* obsequium exhibeat." Concilium vero coloniense (a. 1860. tit. 1. c. 5) statuit: „Fidei firmitas .... requirit, ut qui credit *ratione certo cognoscat* Deum esse locutum *nulloque dubio prudenti* hac de re pulsetur." Ceterum luculentissime jus hoc rationi assertum fuit celebri illa propositione (5.) cl. Bautain et Bonetty proposita et ab ipsis subscripta: „Rationis usus fidem praecedit et ad eam hominem ope revelationis et gratiae conducit." Neque c) laedit fides tertium rationis jus reprobandi nimirum errorem, quoties illum evidenter vel certo agnoscit. Caveat sibi tamen humana ratio, ne quidquid vel intelligere vel comprehendere vel concipere nequit, inter errores reputet. Sicut autem fides nullum laedit jus rationis, ita vicissim ratio omnia approbat fidei postulata. Postulat a) fides, ut ratio se subjiciat auctoritati divinae, sed quid dignius et justius, quid aequius et magis salutare, quam ut ratio creata limitibusque circumscripta, hinc erroribus obnoxia, quae toties magno suo commodo auctoritati se subjicit humanae, rationi increatae nullique obnoxiae errori se in disciplinam tradat? Postulat b) fides assensum firmum. „Quis enim ignorat, inquit Pius IX. (Encycl. d. 9. Nov. 1846), vel ignorare potest, omnem Deo loquenti fidem esse habendam nihilque rationi esse magis consentaneum, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit?" Neque mirum: sicut enim Deus, ut *summum bonum* amorem exigit *ex toto*

non fui. Sed *in semine tuo benedicentur omnes gentes*. Quando Deus Abrahae bene-

---

corde, ita ut *summa veritas* si quid revelat contentus non est assensu quocunque, sed assensum postulat, se dignum qui sit *ex tota mente*. Postulat c) fides ne *temere* scrutemur mysteria. „Quo enim intellectu, inquit Augustinus (de Trin. l. 5. c. 1), Deum capit homo, qui ipsum intellectum suum, quo eum vult capere, nondum capit?" Et s. Basilius (ep. 16. al. 168 ad Eunomium): „Si minutissimae formicae naturam nondum cognitione apprehendisti, quomodo incomprehensibilis Dei vim te imaginari gloriaris?" Postulat denique d) fides ut aquiescamus certitudini morali de facto revelationis, cum haec sufficiat ad dirigendam vitam hominum universam. Ad rem concilium coloniense (a. 1860. Tit. 1. c. 6): „Nimium tribueretur rationi, si ad demonstrandam revelationem ejusmodi requirerentur argumenta, quae non solum omne dubium prudens excluderent, sed quae sua evidentia omnem homini potestatem dubium quodcunque imprudens concipiendi adimerent. Majorem enim libertatem, quam quae argumentis ejusmodi evidentia sua nos urgentibus reliqua esset, Deus qui insignis meriti occasionem homini praebere volebat, teste experientia conjunxit. Si argumentis certis quidem, non tamen semper tanta de qua dictum est evidentia fulgentibus in negotiis etiam gravissimis vitae communis duci solemus, neque ut alteri fidem habeamus, evidentiam illam semper exigimus, cur ut revelationi prudenter assentiamur, alia exigeremus argumenta?" Cf. dissertatio nostra: Ueber die Rechte der Vernunft und des Glaubens. Innsbruck 1868. Tandem 5) fides inde quoque se rationi commendat,

dicebat, me promittebat: per omnes enim gentes in Christi benedictione diffundor. Se-

---

quod nobillissimum sit naturae rationalis obsequium rationi increatae omnisque veri fonti exhibitum tum propter actus difficultatem, tum propter professionem, quam involvit, et summae Dei veracitatis et nostrae ab eo dependentiae. „Maximus enim, inquit s. Chrysostomus H. 39. in Gen. n. 1. est hic honor a nobis ipsi oblatus, si ipsius virtuti confidimus, etiam si oculis corporis quae sunt contraria videamus. Et quid admiraris, si apud Deum maximus honor sit non dubitare? Etiam apud homines, cum quid ex his fluxis et corruptioni obnoxiis rebus nobis promittitur, si nos de promissis non dubitemus, sed promittenti fidem habeamus, id maximo honori ducitur." Merito proinde concludere possumus, fidem se undequaque rationi commendare et secundum rationem esse. Sed *praeterea* fides rationem multipliciter juvat, plurimumque commodi ex revelatione in hanc redundat. Ampliatur 1) supellectile cognitionis humanae. Revelatione enim et fide homines discunt veritates et rationi pervias, quas tamen curis tot praepediti nunquam didicissent, et praeterrationales et superrationales. Jam vero ut scite post Aristotelem (Ethic. l. 10. c. 7. de part. animae l. 1. c. 5 etc.) advertit s. Thomas (c. gentes l. 1. c. 5): „De rebus nobilissimis quantumcunque imperfecta cognitio maximam perfectionem confert, et ideo quamvis ea, quae supra rationem sunt, ratio humana plane capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquiritur, si saltem ea qualitercunque teneat fide." Nam, ut inquit s. Bonaventura (in l. 3. d. 23. a. 1. q. 4.), „Melius est vel modicum quid de Deo scire, quam coelestium

men Abrahae Christum succedentium generationum ordo testatur. Quod ut breviter col-

---

vel terrestrium notitiam habere." Revelatio 2) liberat rationem a tot erroribus et dubiis molestis circa res scitu maxime necessarias, hisque remotis pacem securitatemque animis de altera vita ac de sua salute sollicitis conciliat. Hinc sicut homo christianus gratiae innixus dicere potest: *Omnia possum in eo qui me confortat* (Phil. 4, 13), ita revelatione edoctus cum regio psalte gloriari poterit: *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in aeternum mihi est. Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi, quia mandata tua quaesivi* (Ps. 118, 98 ss). Revelatio 3) viae ducis instar dirigit inquisitionem rationis, ut citius, securius, plenius veritatem assequatur; metam indicat quo sit investigatione perveniendum. Hinc concilium coloniense (a. 1860. tit. 1. c. 6): „Neque illo Ecclesiae de doctrinis philosophicis judicio detrahitur quidquam veritatis naturalis indagandae studio. Non enim philosophiae usus, sed ejusdem solus abusus interdicitur, nec veritatem indagare sed errorem solum eumque fidei adversantem aut ad eam labefactandam accommodatum homo complecti prohibetur. Imo potius juvatur et provehitur ipsa philosophia, quum non exiguum sit in omni inquisitione emolumentum nosse sententias quasdam, quae utpote certo falsae scopulorum instar sunt fugiendae." Denique 4) revelatio veri cupidinem excitat stimulosque addit vel ut alacrius veritatum investigationi insistamus quodque fide didicimus rationis etiam lumine assequamur, vel ut veritates revelatas quantum fieri potest intelligamus

ligam, Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob genuit duodecim filios, ex qui-

---

ac in eorum intelligentia proficiamus, vel ut easdem tueamur adversus fidei hostes, quod absque studio solertique rationis usu apte fieri non poterit. Egregie enim s. Augustinus (in ep. ad Consentium 120. al. 222 n. 3) animadverit: „Absit ut ideo credamus ne rationem accipiamus (eorum scil. quae credimus) sive quaeramus, cum etiam credere non possimus, nisi rationales animas haberemus.“ Et n. 8: „Qui vera ratione jam quod tantummodo credebat intelligit profecto praeponendus est ei qui cupit adhuc intelligere quod credit: si autem nec cupit, et ea quae intelligenda sunt credenda tantummodo existimat, *cui rei fides prosit ignorat.*“ — Diximus tertio loco, fidem homines ad novum altioremque provehi scientiae ordinem. Hoc docent 1) Scripturae sive cum affirmant, Filium Dei venisse nobisque *dedisse sensum (διάνοιαν) ut cognoscamus verum Deum* (1. Joan. 5, 20); sive cum tradunt hominem animalem i. e. naturalem gratia et fide destitutum non percipere ea, quae sunt Spiritus Dei eo quod stulta ei videantur; imo ne posse quidem ea intelligere (1. Cor. 2, 6 ss); sive cum gratiam illam, qua ad fidem in Christum adducimur, conferunt cum verbo illo, quo Deus dixit *de tenebris lucem splendescere* (2. Cor. 4, 6). Docent hoc 2) Patres cum generatim fidem rationi scientiaeque opponentes, fide dicunt nos attingere veritates, quas ratio ne suspicari quidem potuerit; fidemque novum esse lumen, lumen plane coeleste, quo fideles illuminati vident quae fugiunt oculos rationis. Hinc s. Augustinus (in Ps. 149. n. 19): „Omnino habet oculos fides et maiores et

bus ortus est populus Israel. Jacob quippe ipse appellatus est Israel. In his duodecim filiis genuit Judam, unde nomen est judaeorum, ex quibus nata est virgo Maria, quae peperit Christum. Et ecce in Christo, id est, in semine Abrahae benedici omnes gentes, videtis et stupetis; et adhuc in eum credere timetis, in quem non credere potius timere debuistis. An credere dubitatis vel recusatis virginis partum, cum magis credere debeatis, sic decuisse nasci hominem Deum? Et hoc

---

potentiores et fortiores; hi oculi neminem deceperunt. Hi oculi semper sint ad Dominum." Et iterum (s. 247. n. 2): „Ubi defecerit ratio, ibi est fidei aedificatio." Cf. 18 ep. 120. al. 222. n. 7. et Chrys. h. in apostolicum dictum 2. Tim. 3, 1. n. 1 s. egregie *de oculis fidei* disserentem (Mig. 56, 271). Docet id 3) s. Thomas solida hac ratione (c. gent. l. 3. c. 152): „In quolibet cognoscente modus cognitionis consequitur modum propriae naturae; unde alius modus cognitionis est angeli, hominis, et bruti animalis secundum quod eorum naturae diversae sunt . . . Sed homini ad consequendum ultimum finem additur aliqua perfectio super propriam naturam scil. gratia. Oportet igitur, quod etiam super cognitionem naturalem hominis addatur in ea aliqua cognitio, quae rationem naturalem excedat et haec est cognitio fidei." Quibus vel obiter expensis liquet quod initio diximus, tantum abesse ut rationi fides adversetur, ut potius, quemadmodum gratia generatim naturam non destruit sed perficit, fides rationem exornet, promoveat, excolat.

namque accipite per prophetam fuisse praedictum: *Ecce virgo accipiet in utero, et pariet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, nobiscum Deus* (Is. 7, 14). Non ergo dubitabitis virginem parientem, si velitis credere Deum nascentem, mundi regimen non relinquentem, et ad homines in carne venientem; matri fecunditatem afferentem, integritatem non auferentem. Sic hominem nasci oportebat, etsi semper erat Deus, ex quo nascendo fieret nobis Deus. Hinc de eo rursus propheta dicit: *Thronus tuus, Deus in seculum seculi; virga directionis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis prae participibus tuis.* Ista unctio spiritalis est, qua Deus unxit Deum, Pater scilicet Filium: unde appellatum a chrismate, id est, ab unctione novimus Christum. Ego sum Ecclesia, de qua illi in eodem Psalmo dicitur, et tamquam factum quod futurum fuerat praenunciatur: *Adstitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circumamicta varietate,* id est, in sacramento sapientiae, linguarum varietate decorata. Ibi mihi dicitur: *Audi filia et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum et domum patris*

tui; quia concupivit rex speciem tuam; quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum filiae Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Omnis gloria ejus filiae regis intrinsecus, in fimbriis aureis circumamicta varietate. Adducentur regi virgines post eam, proximae ejus adducentur tibi; adducentur in laetitia et exsultatione, adducentur iu templum regis. Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram. Memores erunt nominis sui, in omni generatione et generatione. Propterea populi confitebuntur tibi in seculum et in seculum seculi (Ps. 44, 7 ss).

6. Si hanc reginam non videtis, jam etiam regia prole fecundam. Si non videt impletum, quod audivit esse promissum, cui dictum est: *Audi filia et vide*. Si non reliquit ritus pristinos mundi, cui dictum est: *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui*. Si non ubique Christum Dominum confitetur, cui dictum est: *Concupivit rex speciem tuam, quia ipse est Dominus Deus tuus*. Si non videt civitates gentium Christo preces fundere et munera offerre, de quo illi dictum est: *Adorabunt eum filiae Tyri in*

muneribus. Si non etiam superbia deponitur divitum et ab Ecclesia deprecantur auxilium, cui dictum est: *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*. Si non agnoscit filiam regis, cui dicere jussa est: *Pater noster qui es in coelis;* et in sanctis suis in interiore homine renovatur de die in diem, de qua dictum est: *Omnis gloria ejus filiae regis intrinsecus*: quamvis et oculos extraneorum fulgentes fama praedicatorum suorum in diversitate linguarum velut in fimbriis aureis et vestis varietate perstringat. Si non postea quam diffamatur in quocunque loco odore bono ejus etiam consecrandae virgines adducuntur ad Christum, de quo dicitur et cui dicitur: *Adducentur regi virgines post eam, proximae ejus adducentur tibi*. Et ne quasi captivae in aliquem velut carcerem viderentur adduci, *adducentur*, inquit, *in laetitia et exsultatione, adducentur in templum regis*. Si non parit filios, ex quibus habeat tamquam patres, quos constituat sibi ubique rectores, cui dicitur: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram;* quorum se orationibus mater et praelata et subjecta commendat; unde subjunctum est: *Memores erunt nominis tui, in omni genera-*

tione et generatione; si non propter eorumdem patrum pradicationem, in qua nominis ejus sine intermissione meminerunt, tam magnae in ea multitudines congregantur, eique laudem gratiae sine fine linguis propriis confitentur, cui dicitur: *Propterea populi confitebuntur tibi in seculum et in seculum seculi;* si non ista ita demonstrantur esse perspicua, ut non inveniant oculi inimicorum in quam partem avertantur, ubi non eadem perspicuitate feriantur, ut ex ea fateri manifeste cogantur: merito fortasse dicitis, quod nulla vobis ostendantur indicia, quibus visis credatis etiam illa, quae non videtis. Si vero haec, quae videtis, et longe ante praedicta sunt et tanta manifestatione complentur; si se ipsa veritas et praecedentibus vobis et consequentibus declarat effectibus, o reliquiae infidelitatis, ut credatis quae non videtis, iis erubescite quae videtis.

CAPUT IV.

Ad credenda quae non videmus movere debent quae nunc impleta conspicimus.

7. Me attendite, vobis dicit Ecclesia; me attendite, quam videtis, etiamsi videre nolitis. Qui enim temporibus illis in Judaea terra

fideles fuerunt, ex virgine nativitatem mirabilem ac passionem, resurrectionem, ascensionem Christi, omnia divina dicta ejus et facta praesentes praesentia didicerunt. Haec vos non vidistis, propterea credere recusatis. Ergo haec aspicite, in haec intendite, haec quae cernitis cogitate, quae vobis non praeterita narrantur, nec futura praenunciantur, sed praesentia demonstrantur. An vobis inane vel leve videtur, et nullum vel parvum putatis esse miraculum divinum, quod in nomine unius crucifixi universum genus currit humanum? Non vidistis quod praedictum et impletum est de humana Christi navitate: *Ecce virgo in utero accipiet et pariet filium?* sed videtis quod praedictum et impletum est ad Abraham Dei verbum: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Non vidistis quod de mirabilibus Christi praedictum est: *Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram* (Ps. 45, 9); sed videtis quod praedictum est: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae* (Ps. 2, 7). Non vidistis quod praedictum est et impletum de passione Christi: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt om-*

nia ossa mea; ipsi vero consideraverunt et conspexerunt me; diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem; sed videtis quod in eodem Psalmo praedictum est, et nunc apparet impletum: *Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terrae, et adorabunt in conspectu ejus universae patriae gentium, quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium* (Ps. 21, 17 ss). Non vidistis quod de resurrectione Christi praedictum atque completum est, loquente Psalmo ex persona ejus prius de traditore et persecutoribus ejus: *Egrediebantur foras et loquebantur simul in unum; adversum me insusurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum disposuerunt adversum me.* Ubi, ut ostenderet nihil eos valuisse occidendo resurrecturum, subjecit atque ait: *Numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* Et paulo post cum de ipso suo traditore per eandem prophetiam praedixisset, quod in Evangelio quoque scriptum est: *Qui edebat panes meos, ampliavit super me calcaneum;* hoc est, conculcavit me: continuo subdidit: *Tu autem Domine miserere mei, et resuscita me, et reddam illis* (Ps. 40, 7). Impletum est hoc, dormivit Christus et

evigilavit, hoc est, resurrexit; qui per eandem prophetiam in alio Psalmo ait: *Ego dormivi et somnum cepi, et exsurrexi, quoniam Dominus suscipiet me.* Verum hoc non vidistis, sed videtis ejus Ecclesiam, de qua similiter dictum et impletum est: *Domine Deus meus, ad te gentes venient ab extremo terrae et dicent: Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra et non est in illis utilitas.* Hoc certe sive velitis seu nolitis aspicitis, ut si adhuc aliquam putatis esse vel fuisse in simulacris utilitatem; certe tamen innumeros gentium populos relictis vel abjectis vel confractis hujusmodi vanitatibus audistis dicere: *Vere mendacia coluerunt patres nostri simulacra, et non est in illis utilitas: si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt dii* (Jer. 16, 19). Nec putetis autem ad unum aliquem Dei locum gentes praedictas fuisse venturas, quoniam dictum est: *Ad te gentes venient ab extremo terrae.* Intelligite, si potestis, ad Deum christianorum, qui summus et verus est Deus, non ambulando venire gentium populos, sed credendo. Nam res eadem ab alio propheta sic praenunciata est: *Praevalebit,* inquit, *Dominus adversus eos, et exterminabit omnes deos gentium terrae: et adorabunt eum unus-*

quisque de loco suo omnes insulae gentium (Soph. 2, 11). Quod ait ille: *Ad te omnes gentes venient*; hoc ait iste: *Adorabunt eum unusquisque de loco suo*. Ergo venient ad eum non recedentes de loco suo, quia credentes in eum invenient eum in corde suo. Non vidistis quod praedictum et impletum est de ascensione Christi: *Exaltare super coelos Deus*: sed videtis quod continuo sequitur: *Et super omnem terram gloria tua*. (Ps. 107, 6). Illa de Christo jam facta atque transacta omnia non vidistis, sed ista praesentia in ejus Ecclesia videre vos non negatis. Utraque vobis praedicta monstramus: utraque autem vobis impleta propterea demonstrare videnda non possumus, quia revocare in conspectum praeterita non valemus.

CAPUT V.

Praesentium exhibitio adstruit fidem praeteritorum et futurorum.

8. Sed quemadmodum voluntates amicorum quae non videntur, creduntur per indicia quae videntur: sic Ecclesia quae nunc videtur, omnium quae non videntur, sed in eis literis, ubi et ipsa est praedicta, monstrantur, et index est praeteritorum et prae-

nuncia futurorum. Quia et praeterita quae jam non possunt videri, et praesentia quae [1]) nec possunt videri omnia cum praenunciarentur, nihil horum poterat tunc videri. Cum ergo fieri praedicta coeperunt, ex illis quae facta sunt usque ad ista quae fiunt, de Christo et Ecclesia quae praedicta sunt ordinata serie cucurrerunt: ad quam seriem pertinent de die judicii, de resurrectione mortuorum, de impiorum aeterna damnatione cum diabolo, et de piorum aeterna remuneratione cum Christo, quae similiter praedicta ventura sunt. Cur ergo res primas et novissimas, quas non videmus, non credamus, cum testes utrarumque res medias quas videmus habeamus, atque in propheticis libris et primas et medias et novissimas vel audiamus praenunciatas ante quam fierent, vel legamus? Nisi forte arbitrantur homines infideles a christianis illa esse conscripta, ut ista quae jam credebant majus haberent pondus auctoritatis, si ante quam venirent, putarentur esse promissa.

---

[1]) Mss. *Quae nunc possunt, videri omnia cum* etc.

CAPUT VI.

Judaeorum codices fidei nostrae adstipulantur.

9. Quod si suspicantur, inimicorum nostrorum judaeorum codices perscrutentur. Ibi legant ista, quae commemoravimus, praenunciata de Christo in quem credimus, et Ecclesia quam cernimus ab initio laborioso fidei usque ad sempiternam beatitudinem regni. Sed cum legunt, non mirentur quod ista illi, quorum codices sunt, propter inimicitiarum tenebras non intelligunt. Nam eos non intellecturos ab eisdem prophetis ante praedictum est: quod ut cetera oportebat impleri, et occulto justoque judicio Dei meritis eorum poenam debitam reddi. Ille quippe, quem crucifixerunt et cui fel et acetum dederunt, quamvis in ligno pendens, propter eos quos fuerat in lucem de tenebris educturus, dixerit Patri: *Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* (Luc. 23, 34): tamen propter ceteros, quos occultioribus causis fuerat deserturus, per prophetam tanto ante praedixit: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto: fiat mensa eorum coram ipsis in muscipulam, et in retributionem et in scandalum; obscurentur oculi*

eorum, ne videant, et dorsum illorum semper incurva (Ps. 68, 22). Cum causae itaque nostrae praeclarissimis testimoniis circumquaque ambulant oculis obscuratis, ut per eos haec probentur, ubi et ipsi reprobantur. Ideo factum est, ne sic delerentur, ut eadem secta omnino nulla esset; sed dispersa est super terras, ut portans in nos collatae gratiae prophetias ad convincendos firmius infideles, nobis ubique prodesset. Et hoc ipsum quod dico, accipite quemadmodum fuerit prophetatum: *Ne occideres eos*, inquit, *ne quando obliviscantur legem tuam, disperge eos in virtute tua* (Ps. 58, 12). Non sunt ergo occisi in eo, quod non sunt quae apud eos legebantur et audiebantur obliti. Si enim Scripturas sanctas, quamvis eas non intelligant, penitus obliviscerentur, in ipso judaico ritu occiderentur: quia cum legis et prophetarum nihil nossent judaei, prodesse non possent. Ergo occisi non sunt, sed dispersi: ut [1]) quamvis in fide, unde salvi fierent, non haberent; tamen unde nos adjuvaremur, memoria retinerent, in libris suffragatores, in cordibus nostri hostes, in codicibus testes [2]).

---

[1]) Codex Vatic. *ut quamvis fidem.*

[2]) Quae praeclare hic s. doctor animadvertit de sapientissimo divinae providentiae consilio in conser-

CAPUT VII.

Mirabilis gentium ad fidem Christi conversio veritatis religionis christianae est argumentum.

10. Quamquam etiamsi de Christo et Ecclesia testimonia nulla praecederent, quem

---

vando dispergendoque per orbem populo judaico, passim alibi tradit. Sic in Ps. 56. n. 9: „Dispersi sunt per omnes gentes, nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc judaei sunt ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus paganis istas literas. Et ne forte dicant duri ad fidem, quia nos illas christiani composuimus, et cum Evangelio, quod praedicamus, finxerimus prophetas, per quos praedictum videretur quod praedicamus, hinc eos convincimus, quia omnes ipsae literae, quibus Christus prophetatus est, apud judaeos sunt, omnes ipsas literas habent judaei. Proferimus codices ab inimicis, ut confundamus alios inimicos . . . Codicem portat judaeus, unde credat christianus. Librarii nostri facti sunt, quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant . . . Sic enim apparent judaei de Scriptura sancta, quam portant, quomodo apparet facies caeci de speculo; ab aliis videtur, ab ipso non videtur.“ Haec in suum commentarium in Ps. transtulit Pseudo-Rufinus. Cf. praeterea in Ps. 58; l. 12. c. Faust. c. 23; c. 2. ep. pelag. c. 4. n. 9; ep. 137. al. 3. n. 16; 149. ad Paul. n. 9.

non movere deberet ut crederet, repente illuxisse divinam humano generi claritatem,

---

et l. de quinque haec. c. 7. Eadem est doctrina et aliorum Patrum ut Chrysostomi in Ps. 44. n. 1; Eusebii demonstr. ev. l. 7. c. 1. et Justini cohort. ad graec. n. 13. qui ita scribit: „Quod autem hi libri, qui religionis nostrae proprii sunt, etiamnum apud judaeos asservantur, id providentiae divinae nobis consulentis opus exstitit. Nam ne ex Ecclesia proferentes locum suspicandae fraudis praebeamus hominibus nobis obtrectandi cupidis, ex judaeorum synagogis eos proferri postulamus, ut ex ipsis illis libris qui adhuc apud eos asservantur, clare et aperte nostras esse pateat leges, quae a sanctis viris ad doctrinam scriptae sunt.“ Ita vero disserit Severianus Gabalorum episcopus (or. 4. de creatione mundi n. 5): „Vide sapientiam Dei. Scripturas prophetarum non sivit in Ecclesia solum esse, sed et apud judaeos: ut illi coarguerentur, reliquit eas apud judaeos, Dei hostes, Christi inimicos. Cur ergo id fecit, nec ab illis Scripturas abstulit? Evidens causa est nec multa probatione opus habet. Ut praedicatio mea non suspecta esset. Si solus prophetas haberem, posset incredulus contradicere. Ausus ne essem ego dicere: Dixit Moyses, dixit Isaias aut dixit reliquus prophetarum ordo de Christo et de iis, quae tempore adventus ejus erant eventura? Poterat quivis respondere: Undenam scimus Moysem fuisse prophetam et haec dixisse aut praedicasse, quemadmodum vobis christianis ad confirmationem doctrinae vestrae blaterare visum est, prophetas nempe fingere et nomina fabulose comminisci? nosne debemus hanc auctoritatem admittere? Nunc vero contradicenti, etiamsi

quando videmus relictis diis falsis et eorum confractis usquequaque simulacris, templis subversis, sive in usus alios commutatis, atque ab humana veternosissima consuetudine tot vanis ritibus exstirpatis, unum verum Deum ab omnibus invocari? Et hoc esse factum per unum hominem ab hominibus illusum, comprehensum, vinctum, flagellatum, expalmatum, exprobratum, crucifixum, occisum: discipulis ejus, quos idiotas et imperitos et piscatores et publicanos, per quos ejus magisterium commendaretur, elegit, annunciantibus ejus resurrectionem, ascensionem, quam se vidisse dixerunt, et impleti Spiritu sancto, hoc Evangelium linguis omnibus, quas non didicerant, sonuerunt. Quos qui audierunt, partim crediderunt. partim non credentes praedicantibus ferociter restiterunt. Ita fidelibus usque ad mortem pro veritate non mala rependendo, sed perpetiendo certantibus, nec occidendo, sed moriendo vincentibus; sic in istam religionem

---

magnis munitus sit ratiociniis, omnis sublata occasio est, eo quod illa testimonia apud ipsos deposita sunt." Nemo autem non videt, quantum ponderis ex hac animadversione argumentis accedat illis, quae pro tuenda divina religionis christianae origine ex vaticiniis peti solent messianis.

mutatus est mundus, sic ad hoc Evangelium corda conversa mortalium, marium et feminarum, parvulorum atque magnorum, doctorum et indoctorum, sapientium et insipientium, potentium et infirmorum, nobilium et ignobilium, excelsorum et humilium, et per omnes gentes Ecclesia diffusa sic crevit, ut etiam contra ipsam catholicam fidem nulla secta perversa, nullum genus exoriatur erroris, quod ita reperiatur christianae veritati adversari, ut non affectet atque ambiat Christi nomine gloriari: quod quidem non sineretur pullulare per terram, nisi exerceret sanam et ipsa contradictio disciplinam. Quando tantum crucifixus ille potuisset, nisi Deus hominem suscepisset, etiam si nulla per prophetas futura talia praedixisset? Cum vero tam magnum pietatis sacramentum habuerit antecedentes vates suos atque praecones, quorum divinis vocibus est praenunciatum, et sic venerit quemadmodum est praenunciatum, quis ita sit demens, ut dicat apostolos de Christo fuisse mentitos, quem sic venisse praedicaverunt, quemadmodum eum venturum prophetae ante praedixerunt, qui nec de ipsis apostolis vera futura tacuerunt? De his quippe dixerant: *Non sunt loquelae neque sermones, quorum non au-*

diantur voces eorum; in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum (Ps. 18, 4). Quod certe in orbe videmus impletum, etsi in carne nondum vidimus Christum. Quis itaque nisi mirabili dementia caecatus, aut mirabili pertinacia durus ac ferreus nolit habere sacris literis fidem, quae totius orbis praedixerunt fidem?

11. Vos autem carissimi, qui hanc fidem habetis vel qui nunc novam habere coepistis, nutriatur et crescat in vobis. Sicut enim venerunt temporalia tanto ante praedicta, venient et sempiterna promissa. Nec vos decipiant vel vani pagani vel falsi judaei vel fallaces haeretici, nec non in ipsa Catholica mali christiani, tanto nocentiores, quanto interiores inimici. Quia et hinc ne perturbarentur infirmi, prophetia divina non tacuit, ubi loquens in Cantico canticorum sponsus ad sponsam, id est, Christus Dominus ad Ecclesiam: *Sicut lilium*, inquit, *in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum*(2, 2). Non dixit, in medio extranearum, sed, *in medio filiarum. Qui habet aures audiendi audiat:* et dum sagena, quae missa est in mare et congregat omnia genera piscium, sicut sanctum loquitur Evangelium, trahitur ad litus, id est, ad seculi finem, secernat se

a piscibus malis corde, non corpore; mores malos mutando, non retia sancta rumpendo: ne qui nunc probati reprobis videntur esse permixti, non vitam, sed poenam reperiant sempiternam, cum coeperint in litore separari. (Matth. 13, 9, 47 ss).

S. AURELII AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

DE FIDE ET SYMBOLO

LIBER UNUS[1].

CAPUT I.

Quae causa et scopus operis praesentis.

1. Quoniam scriptum est et apostolicae disciplinae robustissima auctoritate firmatum, *Quia justus ex fide vivit* (Hab. 2, 4); eaque fides officium a nobis exigit et cordis et linguae; ait enim Apostolus: *Corde creditur ad*

---

[1]) De hoc libello ita scribit s. Augustinus (retract. l. 1. c. 17): „Per idem tempus (a. 393) coram episcopis hoc mihi jubentibus, qui plenarium totius Africae concilium Hyppone regio habebant, *de fide et symbolo* presbyter disputavi. Quam disputationem, nonnullis eorum qui nos familiarius diligebant studiossime instantibus, in librum contuli, in quo de rebus ipsis ita disseritur, ut tamen non fiat verborum illa contextio, quae tenenda memoriter Competentibus (i. e. catechumenis qui proxime ad baptismi susceptionem disponebantur) traditur.“ In eo autem s. Doctor singulos symboli articulos accurate explanat ita ut simul haereticorum inprimis manichaeorum doctrinam oppositam insectetur.

justitiam, ore autem confessio fit ad salutem (Rom. 10, 10); oportet nos esse et justitiae memores et salutis. Quandoquidem in sempiterna justitia regnaturi, a praesenti seculi maligno salvi fieri non possumus, nisi et nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus: quae fides ne fraudulentis calliditatibus haereticorum possit in nobis aliqua ex parte violari, pia cautaque vigilantia providendum est. Est autem catholica fides in symbolo nota fidelibus memoriaeque mandata, quanta res passa est brevitate sermonis: ut incipientibus atque lactentibus eis, qui in Christo renati sunt, nondum Scripturarum divinarum diligentissima et spiritali tractatione atque cognitione roboratis, paucis verbis credendum constitueretur, quod multis verbis exponendum esset proficientibus, et ad divinam doctrinam certa humilitatis atque caritatis firmitate surgentibus. Sub ipsis ergo paucis verbis in symbolo constitutis, plerique haeretici venena sua occultare conati sunt: quibus restitit et resistit divina misericordia per spiritales viros, qui catholicam fidem, non tantum in illis verbis accipere et credere, sed etiam Domino revelante intelligere atque cognoscere meruerunt. Scriptum est enim:

Nisi credideritis, non intelligetis [1]. Sed tractatio fidei ad muniendum symbolum valet: non ut ipsa pro symbolo gratiam Dei consequentibus memoriae mandanda et reddenda tradatur; sed ut illa quae in symbolo retinentur contra haereticorum insidias auctoritate catholica et munitiore defensione custodiat.

CAPUT II.

Deus mundum non creavit ex materia aliqua aeterna.

2. Conati sunt enim quidam persuadere Deum Patrem non esse omnipotentem: non quia hoc dicere ausi sunt, sed in suis traditionibus hoc sentire et credere convincuntur. Cum enim dicunt esse naturam, quam Deus omnipotens non creaverit, de qua tamen istum mundum fabricaverit, quem pulchre ordinatum esse concedunt: ita omnipotentem Deum negant, ut non eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, quae jam fuerat et quam ipse non fecerat, uteretur: carnali scilicet consuetudine videndi fabros et domorum structores et quoslibet opifices, qui nisi adjuventur parata materia, ad effectum suae artis pervenire non possunt. Ita etiam intelligunt fabrica-

---

[1] Isai. 7, 9. Sec. LXX.

torem mundi non esse omnipotentem, si mundum fabricare non posset, nisi eum aliqua non ab illo fabricata natura, tamquam materies, adjuvaret. Aut si omnipotentem Deum fabricatorem mundi esse concedunt, fateantur necesse est ex nihilo eum fecisse quae fecit. Non enim aliquid esse potest, cujus creator non esset, cum esset omnipotens. Quia etsi aliquid fecit ex aliquo, sicut hominem de limo, non utique fecit ex eo, quod ipse non fecerat; quia terram unde limus est, ex nihilo fecerat. Et si ipsum coelum et terram, id est mundum et omnia quae in eo sunt, ex aliqua materia fecerat, sicut scriptum est: *Qui fecisti mundum ex materia invisa*, vel *etiam informi* (Sap. 11, 18) sicut nonnulla exemplaria tenent; nullo modo credendum est illam ipsam materiam, de qua factus est mundus, quamvis informen, quamvis invisam, quocunque modo esset, per se ipsam esse potuisse, tamquam coaeternam et coaevam Deo: sed quemlibet modum suum, quem habebat, ut quoquo modo esset, et distinctarum rerum formas posset accipere, non habebat nisi ab omnipotente Deo, cujus beneficio est res non solum quaecunque formata, sed etiam quaecunque formabilis. Inter formatum autem et formabile hoc interest, quod for-

matum jam accepit formam, formabile autem potest accipere. Sed qui praestat rebus formam, ipse praestat etiam posse formari: quoniam de illo et in illo est omnium speciosissima species incommutabilis: et ideo ipse unus est, qui cuilibet rei, non solum ut pulchra sit, sed etiam ut pulchra esse possit, attribuit. Quapropter rectissime credimus omnia Deum fecisse de nihilo: quia etiamsi de aliqua materia factus est mundus, eadem ipsa materia de nihilo facta est, ut ordinatissimo Dei munere prima capacitas formarum fieret, ac deinde formarentur quaecunque formata sunt. Hoc autem diximus, ne quis existimet contrarias sibi esse divinarum Scripturarum sententias, quoniam et omnia Deum fecisse de nihilo scriptum est, et mundum esse factum de informi materia.

CAPUT III.

Filius est Verbum Patris.

3. Credentes itaque in Deum Patrem omnipotentem, nullam creaturam esse quae ab omnipotente non creata sit, existimare debemus. Et quia omnia per Verbum creavit, quod Verbum et Veritas dicitur, et Virtus et Sapientia Dei, multisque aliis insinuatur

vocabulis qui nostrae fidei Jesus Christus Dominus commendatur, liberator scilicet noster et rector Filius Dei; non enim Verbum illud, per quod sunt omnia condita, generare potuit nisi ille, qui per ipsum condidit omnia: credimus etiam *in Jesum Christum Filium Dei,* Patris unigenitum, id est *unicum, Dominum nostrum.* Quod tamen Verbum non sicut verba nostra debemus accipere, quae voce atque ore prolata verberato aere transeunt, nec diutius manent quam sonant. Manet enim illud Verbum incommutabiliter: nam de ipso dictum est, cum de Sapientia diceretur. *in se ipsa manens innovat omnia* (Sap. 7, 27). Verbum autem Patris ideo dictum est, quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, cum verum loquimur, ut noster animus innotescat audienti, et quidquid secretum in corde gerimus, per signa hujusmodi ad cognitionem alterius proferatur: sic illa Sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit dignis animis secretissimus Pater, Verbum ejus convenientissime nominatur.

4. Inter animum autem nostrum et verba nostra, quibus eundem animum ostendere conamur, plurimum distat. Nos quippe non gignimus sonantia verba, sed facimus; qui-

bus faciendis materia subjacet corpus. Plurimum autem interest inter animum et corpus. Deus vero cum Verbum genuit, id quod est ipse genuit: neque de nihilo, neque de aliqua jam facta conditaque materia; sed de seipso id quod est ipse. Hoc enim et nos conamur, cum loquimur, si diligenter consideremus nostrae voluntatis appetitum; non cum mentimur, sed cum verum loquimur. Quid enim aliud molimur, nisi animum ipsum nostrum, si fieri potest, cognoscendum et perspiciendum animo auditoris inferre; ut in nobis ipsi quidem maneamus, nec recedamus a nobis, et tamen tale indicium, quo fiat in altero nostra notitia, proferamus: ut, quantum facultas conceditur, quasi alter animus ab animo per quem se indicet, proferatur? Id facimus conantes et verbis, et ipso sono vocis, et vultu, et gestu corporis, tot scilicet machinamentis id quod intus est demonstrare cupientes: quia tale aliquid proferre non possumus; et ideo non potest loquentis animus penitus innotescere; unde etiam mendaciis locus patet. Deus autem Pater, qui verissime se indicare animis cognituris et voluit et potuit, hoc ad se ipsum indicandum genuit, quod est ipse qui genuit, qui etiam Virtus ejus et Sapientia dicitur, quia per ipsum

operatus est et disposuit omnia; de quo propterea dicitur: *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. 8, 1).

CAPUT IV.

Filius ab aeterno a Patre genitus in tempore integram humanam suscipiens naturam ex Maria virgine natus est.

5. Quamobrem unigenitus Filius Dei, neque factus est a Patre; quia sicut dicit Evangelista, *omnia per ipsum facta sunt* (Joan. 1, 3): neque ex tempore genitus; quoniam sempiterne Deus sapiens, sempiternam secum habet sapientiam suam: neque impar est Patri, id est in aliquo minor; quia et Apostolus dicit: *Qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse aequalis Deo* (Phil. 2, 6). Hac igitur fide catholica et illi excluduntur qui eundem dicunt Filium esse qui Pater est: quia et hoc Verbum apud Deum esse non posset nisi apud Patrem Deum, et nulli est aequalis qui solus est. Excluduntur etiam illi, qui creaturam esse dicunt Filium, quamvis non talem, quales sunt ceterae creaturae. Quantamcunque enim creaturam dicant, si creatura est, condita et facta est. Nam idem est condere, quod creare:

quamquam in latinae linguae consuetudine dicatur aliquando creare, pro eo quod est gignere: sed graeca discernit. Hoc enim dicimus creaturam, quod illi *κτίσμα* vel *κτίσιν* vocant: et cum sine ambiguitate loqui volumus, non dicimus creare, sed condere. Ergo si creatura est Filius, quamlibet magna sit, facta est. Nos autem in eum credimus per quem facta sunt omnia, non in eum per quem facta sunt cetera: neque enim hic aliter accipere possumus omnia, nisi quaecunque sunt facta.

6. Sed quoniam *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (Joan 1, 14); eadem Sapientia quae de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari. Quo pertinet illud: *Dominus creavit me in principio viarum suarum* (Prov. 8, 22). Viarum enim ejus principium caput est Ecclesiae, quod est Christus homine indutus, per quem vivendi exemplum nobis daretur, hoc est via certa, qua perveniremus ad Deum. Non enim redire potuimus nisi humilitate, qui superbia lapsi sumus, sicut dictum est primae nostrae creaturae: *Gustate, et eritis tamquam dii* (Gen. 3, 5). Hujus igitur humilitatis exemplum, id est, viae qua redeundum fuit, ipse Reparator noster in se ipso demonstrare dignatus est, *qui non ra-*

pinam arbitratus est esse aequalis Deo, sed semetipsum evacuavit formam servi accipiens (Philip. 2, 6); ut crearetur homo in principio viarum ejus, Verbum per quod facta sunt omnia. Quapropter secundum id quod unigenitus est, non habet fratres: secundum id autem quod primogenitus est, fratres vocare dignatus est omnes, qui post ejus et per ejus primatum in Dei gratiam renascuntur per adoptionem filiorum, sicut apostolica disciplina commendat. Naturalis ergo Filius de ipsa Patris substantia unicus natus est, id exsistens quod Pater est, Deus de Deo, lumen de lumine: nos autem non lumen naturaliter sumus, sed ab illo lumine illuminamur, ut sapientia lucere possimus. *Erat* enim, inquit, *Lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (Joan. 1, 9). Addimus itaque fidei rerum aeternarum etiam temporalem dispensationem Domini nostri, quam gerere nobis et ministrare pro nostra salute dignatus est. Nam secundum id quod unigenitus est Dei Filius, non potest dici: Fuit et erit; sed tantum: Est; quia et quod fuit, jam non est, et quod erit, nondum est. Ille ergo est incommutabilis sine conditione temporum et varietate. Nec aliunde arbitror manare illud,

quod famulo suo Moysi tale nomen suum insinuavit. Nam cum ab eo quaereret, si se populus ad quem mittebatur contemneret, a quo se diceret esse missum; responsum dicentis accepit: *Ego sum qui sum.* Deinde subjunxit: *Haec dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos.* (Exod 3, 14).

7. Ex quo jam spiritalibus animis patere confido, nullam naturam Deo esse posse contrariam. Si enim ille est, et de solo Deo proprie dici potest hoc verbum; (Quod enim vere est, incommutabiliter manet; quoniam quod mutatur, fuit aliquid quod jam non est, et erit quod nondum est); nihil ergo habet Deus contrarium. Si enim quaereretur a nobis quid sit albo contrarium, responderemus nigrum; si quaereretur quid sit calido contrarium, responderemus frigidum: si quaereretur quid veloci contrarium, responderemus tardum; et quaecunque similia. Cum autem quaeritur quid sit contrarium ei quod est, recte respondetur quod non est.

8. Sed quoniam per temporalem, ut dixi, dispensationem, ad nostram salutem et reparationem, operante Dei benignitate, ab illa incommutabili Dei Sapientia natura mutabilis nostra suscepta est, temporalium rerum salubriter pro nobis gestarum adjungimus

fidem, credentes in eum Dei Filium *qui natus est per Spiritum sanctum ex virgine Maria*. Dono enim Dei, hoc est, sancto Spiritu concessa nobis est tanta humilitas tanti Dei, ut totum hominem suscipere dignaretur in utero virginis, maternum corpus integrum inhabitans, integrum deserens. Cui temporali dispensationi multis modis insidiantur haeretici. Sed si quis tenuerit catholicam fidem, ut totum hominem credat a Verbo Dei esse susceptum, id est corpus, animam, spiritum [1], satis contra illos munitus est. Quippe cum

[1] Nemo putet Augustinum, cum in homine haec tria distinguit, *corpus, animam, spiritum*, favere errori illi ab Ecclesia rejecto, qui *trichotomia* dici solet. Satis clare enim quo sensu distinctionem hanc intelligat, infra n. 23 (ut alia interim omittamus) exponit. Non tres admittit substantias, sed duas, quarum una, anima scil. pro duplici vita cujus est principium, animali et rationali, nunc anima nunc spiritus appellatur; quare anima et spiritus substantia non distinguuntur, sed eandem designant virtute propemodum duplicem. Ideo autem s. doctor accurate haec tria recenset, ut triplicem excludat errorem. Alii enim negabant verum solidumque Verbum gestasse corpus ut docetae etc.; alii corporis veritate admissa animam humanam Christum habuisse inficiabantur, cum ejus vices obiret Verbum, ut arianorum plerique, alii denique animam quidem Christo tribuebant sed ratione seu mente carentem, ut apollinaristae, unde belle Augustinus (tract 47. in Joan.

ista susceptio pro salute nostra sit gesta, cavendum est ne cum crediderit aliquid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat ad salutem. Et cum homo excepta forma membrorum, quae diversis generibus animantium diversa tributa est, non distet a pecore nisi rationali spiritu, quae mens etiam nominatur; quomodo sana est fides, qua creditur, quod id nostrum susceperit Dei Sapientia, quod habemus commune cum pecore, illud autem non susceperit, quod illustratur luce sapientiae, et quod hominis proprium est?

9. Detestandi autem etiam illi sunt, qui Dominum nostrum Jesum Christum matrem Mariam in terris habuisse negant, cum illa dispensatio utrumque sexum et masculinum et femininum honoraverit, et ad curam Dei pertinere monstraverit, non solum quem suscepit, sed illum etiam per quem suscepit, virum gerendo, nascendo de femina. Nec nos

---

n. 8): „Videte absurditatem et insaniam non ferendam. Animam irrationalem eum habere voluerunt, rationalem negaverunt; dederunt ei animam pecoris, subtraxerunt hominis.“ Cum ergo pars animae rationalis, qua carent bestiae, spiritus dicatur (ita s. doctor infra n. 23), merito disserens de natura humana assumpta ad praecavendos varios errores tria haec, corpus, animam et spiritum nominatim recenset.

ad negandam Christi matrem cogit, quod ad ab eo dictum est: *Quid mihi et tibi est mulier? nondum venit hora mea.* (Joan. 2, 4). Sed admonet potius ut intelligamus secundum Deum non eum habuisse matrem, cujus majestatis personam parabat ostendere aquam in vinum vertendo. Quod autem crucifixus est, secundum hominem crucifixus est; et illa erat hora, quae nondum venerat, quando dictum est: *Mihi et tibi quid est? nondum venit hora mea*, id est, qua te cognoscam. Tunc enim ut homo crucifixus cognovit hominem matrem, et dilectissimo discipulo humanissime commendavit. Nec illud nos moveat, quod cum ei nunciaretur mater ejus et fratres, respondit: *Quae mihi mater, aut qui fratres?* etc. Sed potius doceat ministerium nostrum, quo verbum Dei fratribus ministramus, parentes cum impediunt, non eos debere cognosci. Nam si propterea quisque putaverit non eum habuisse matrem in terris, quia dixit: *Quae mihi mater* (Matt. 12, 48)? cogatur necesse est et apostolos negare habuisse patres in terris, quoniam praecepit eis dicens: *Nolite vobis patrem dicere in terris: unus est enim Pater vester, qui in coelis est* (Ib. 23, 9).

10. Nec nobis fidem istam minuat co-

gitatio muliebrium viscerum, ut propterea recusanda videatur talis Domini nostri generatio, quod eam sordidi sordidam putant. Quia et *stultum Dei sapientius esse hominibus* (1. Cor. 1, 25), *et omnia munda mundis*, (Tit. 1, 15), verissime Apostolus dicit. Debent igitur intueri, qui hoc putant [1]), solis hujus radios, quem certe non tamquam creaturam Dei laudant, sed tamquam Deum adorant per cloacarum foetores et quaecunque horribilia usquequaque diffundi, et in his operari secundum naturam suam, nec tamen inde aliqua contaminatione sordescere, cum visibilis lux visibilibus sordibus sit natura conjunctior: quanto minus igitur poterat pollui Verbum Dei, non corporeum neque visibile, de femineo corpore, ubi humanam carnem suscepit cum anima et spiritu, quibus intervenientibus habitat majestas Verbi ab humani corporis fragilitate secretius? Unde manifestum est nullo modo potuisse Verbum Dei maculari humano corpore, quo nec ipsa anima humana maculata est. Non enim cum regit corpus atque vivificat, sed cum ejus bona mortalia concupiscit, de corpore anima maculatur.

---

[1]) I. e. manichaei.

Quod si animae maculas illi vitare vellent, haec mendacia potius et sacrilegia formidarent [1]).

CAPUT V.

De passione, sepultura et resurrectione Christi.

11. Sed parva erat pro nobis Domini nostri humilitas in nascendo: accessit etiam

---

[1]) Gentiles et increduli, ex haereticis vero omnes, qui veritatem inficiantur corporis seu naturae humanae a Verbo assumptae hoc duplici praesertim offenduntur fidei articulo, quo Verbum *incarnatum natumque* ex virgine profitemur. Putant siquidem carnis vilitatem partumque ex muliere Dei quam maxime dedecere majestatem. Hinc Patres in suis contra hos veritatis christianae adversarios nulli non parcunt diligentiae, ut rationibus multiplicique similitudine maculam omnem ab hisce excludant mysteriis. Saepe penes illos recurrit ea similitudo, qua S. Augustinus hic utitur ex radiis solis deprompta. Ea utitur iterum de agone christ. c. 18. et (si tamen ejus est liber) Tract. adv. 5. haer. c. 5. Ea praeterea occurrit, ut nonnullos indicemus, apud Victorinum Af. de physicis n. 19. (Migne patrol. lat. 8, 1305); Eusebium demonstr. evang. l. 4. c. 13, 7. c. 1, Athanasium de incarn. n. 17. Rufinum in symb. ap. n. 12, ubi alia non minus egregia comparatione utitur. „Si quis, inquit, videat parvulum in profundo coeni necari, et ipse, cum sit vir magnus et potens extremum, ut ita dixerim, ingrediatur coenum, ut parvulum liberet morientem, pollutusne a te

ut mori pro mortalibus dignaretur. *Humiliavit enim se, factus subditus usque ad mortem, mortem autem crucis* (Philip 2, 8): ne quisquam nostrum etiam si mortem posset non timere, aliquod genus mortis, quod homines ignominiosissimum arbitrantur, horreret. Credimus itaque in eum qui *sub Pontio Pilato crucifixus est et sepultus.* Addendum erat judicis nomen, propter temporum cognitionem. Sepultura vero illa cum creditur, fit recordatio novi monumenti, quod resurrecturo ad vitae novitatem praeberet testimonium, sicut nascituro uterus virginalis. Nam sicut in illo monumento nullus alius mortuus sepultus est nec ante, nec postea; sic in illo utero nec ante, nec postea, quidquam mortale conceptum est.

12. Credimus etiam illum *tertio die*

---

accusabitur hic vir, qui paululum calcaverit luti, an ut misericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro? Quae comparatio fuse exposita habetur in actis s. Sebastiani M. c. 18 (Migne patrol lat. 17, 1040 s). Scite vero subtiliterque animadvertit Tertullianus (c. Marc. l. 3. c. 10): „Si ad certum spectemus, nulla substantia digna est quam Deus induat. Quodcunque induerit, ipse dignum facit.“ Ceterum egregie plane utrumque hoc mysterium tuetur Gregorius nyssenus or. cat. cc. 9, 15, 16, 27, 28. Cf. Thomassini de incarn. l. 4. c. 6.

resurrexisse a mortuis, primogenitum consecuturis fratribus, quos in adoptionem filiorum Dei vocavit, quos comparticipes et coheredes suos esse dignatus est.

CAPUT VI.

De resurrectione et ascensione Christi.

13. Credimus *in coelum ascendisse*, quem beatitudinis locum etiam nobis promisit, dicens: *Erunt sicut angeli in coelis*, in illa civitate, quae est mater omnium nostrum Jerusalem aeterna in coelis. Solet autem quosdam offendere vel impios gentiles vel haereticos, quod credamus assumptum terrenum corpus in coelum. Sed gentiles plerumque philosophorum argumentis nobiscum agere student, ut dicant, terrenum aliquid in coelo esse non posse. Nostras enim Scripturas non noverunt, nec sciunt quomodo dictum sit, *Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale* (1 Cor. 15, 44). Non enim ita dictum est, quasi corpus vertatur in spiritum, et spiritus fiat: quia et nunc corpus nostrum quod animale dicitur, non in animam versum est et anima factum. Sed spiritale corpus intelligitur, quod ita spiritui subditum est, ut coelesti habitationi

conveniat, omni fragilitate ac labe terrena in coelestem puritatem et stabilitatem mutata atque conversa. Haec est immutatio, de qua item dicit Apostolus: *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur.* (Ibid. 51). Quam immutationem non in deterius, sed in melius fieri docet idem, cum dicit: *Et nos immutabimur.* Sed ubi et quomodo sit in coelo corpus dominicum, curiosissimum et supervacaneum est quaerere; tantummodo in coelo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostrae coelorum secreta discutere, sed est nostrae fidei de dominici corporis dignitate sublimia et honesta sentire.

CAPUT VII.

Quomodo Christus sedeat ad dexteram Patris.

14. Credimus etiam, quod *sedet ad dexteram Patris.* Nec ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum Patrem arbitrandum est, ut de illo cogitantibus dexterum aut sinistrum latus animo occurrat; aut idipsum quod sedere Pater dicitur, flexis poplitibus fieri putandum est, ne in illud incidamus sacrilegium, in quo exsecratur Apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corrupti-

bilis hominis. Tale enim simulacrum Deo nefas est christiano in templo collocare; multo magis in corde nefarium est, ubi vere est templum Dei, si a terrena cupiditate atque errore mundetur. Ad dexteram ergo intelligendum est sic dictum esse, in summa beatitudine, ubi justitia et pax et gaudium est: sicut ad sinistram hoedi constituuntur, id est in miseria, propter iniquitates, labores atque cruciatus. Sedere ergo quod dicitur Deus, non membrorum positionem, sed judiciariam significat potestatem, qua illa majestas nunquam caret, semper digna dignis tribuendo; quamvis in extremo judicio multo manifestius inter homines unigeniti Filii Dei judicis vivorum atque mortuorum claritas indubitata futura sit.

CAPUT VIII.

Adventus Christi ad judicium.

15. Credimus etiam *inde venturum* convenientissimo tempore, et *judicaturum vivos et mortuos*. Sive istis nominibus justi et peccatores significentur; sive quos tunc ante mortem in terris inventurus est appellati sint vivi, mortui vero qui in ejus adventu resurrecturi sunt: haec dispensatio tempora-

lis non tantum est, sicut illa generatio secundum Deum, sed etiam fuit et erit. Nam fuit Dominus noster in terris, et nunc est in coelo, et erit in claritate judex vivorum atque mortuorum. Ita enim veniet, sicut ascendit, secundum auctoritatem quae in actibus apostolorum continetur. Ex hac itaque temporali dispensatione loquitur in Apocalypsi, ubi scriptum est: *Haec dicit qui est, et qui fuit, et qui venturus est* (Apoc. 1, 8).

CAPUT IX.

De fide in Spiritum sanctum.

16. Digesta itaque fideique commendata et divina generatione Domini nostri et humana dispensatione, adjungitur confessioni nostrae, ad perficiendam fidem, quae nobis de Deo est, Spiritus sanctus, non minore natura quam Pater et Filius, sed, ut ita dicam, consubstantialis et coaeternus: quia ista Trinitas unus est Deus: non ut idem sit Pater qui et Filius et Spiritus sanctus; sed ut Pater sit Pater, et Filius sit Filius, et Spiritus sanctus sit Spiritus sanctus, et haec Trinitas unus Deus, sicut scriptum est: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est* (Deut. 6, 4). Tamen si interrogemur de

singulis, et dicatur nobis, Deus est Pater? respondebimus, Deus. Si quaeratur utrum Deus sit Filius; hoc respondebimus. Nec si fuerit de Spiritu sancto talis interrogatio, aliud eum esse debemus respondere quam Deum: vehementer caventes sic accipere, quomodo de hominibus dictum est: *Dii estis* (Psal. 81, 6). Non enim sunt naturaliter dii, quicunque sunt facti atque conditi ex Patre per Filium dono Spiritus sancti. Ipsa enim significatur Trinitas, cum Apostolus dicit: *Quoniam ex ipso et in ipso et per ipsum sunt omnia* (Rom. 11, 36). Quamquam ergo de singulis interrogati, respondeamus Deum esse de quo quaeritur, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum sanctum; non tamen tres deos a nobis coli quisquam existimaverit.

17. Nec mirum quod haec de ineffabili natura dicuntur, cum in iis etiam rebus, quas corporeis oculis cernimus et corporeo sensu dijudicamus, tale aliquid accidat. Nam cum de fonte interrogati non possimus dicere, quod ipse sit fluvius; nec de fluvio interrogati possimus eum fontem vocare; et rursum potionem quae de fonte vel fluvio est. nec fluvium possimus appellare nec fontem: tamen in hac trinitate aquam nominamus, et cum de singulis quaeritur, singillatim aquam

responderemus. Nam si quaero utrum aqua in fonte sit, respondetur aqua; et si quaeramus utrum aqua sit in fluvio, nihil aliud respondetur, et in illa potione non poterit esse alia responsio: nec tamen eas tres aquas, sed unam dicimus. Sane cavendum est, ne quisquam ineffabilem illius majestatis substantiam sicut fontem istum visibilem atque corporeum vel fluvium vel potionem cogitet. In his enim aqua illa, quae nunc in fonte est, exit in fluvium, nec in se manet; et cum de fluvio vel de fonte in potionem transit, non ibi permanet, unde sumitur. Itaque fieri potest, ut eadem aqua nunc ad fontis appellationem pertineat, nunc ad fluvii, nunc ad potionis: cum in illa Trinitate dixerimus, non posse fieri ut Pater aliquando sit Filius, aliquando Spiritus sanctus: sicut in arbore non est radix nisi radix, nec robur est aliud quam robur, nec ramos nisi ramos possumus dicere: non enim quod dicitur radix, id potest dici robur et rami; nec lignum quod pertinet ad radicem, potest aliquo transitu nunc in radice esse, nunc in robore, nunc in ramis, sed tantummodo in radice: cum illa regula nominis maneat, ut radix lignum sit, et robur lignum, et rami lignum; nec tamen tria ligna dicantur, sed unum. Aut si haec

habent aliquam dissimilitudinem, ut possint non absurde tria ligna dici, propter firmitatis diversitatem: illud certe omnes concedunt, si ex uno fonte tria pocula impleantur, posse dici tria pocula, tres autem aquas non posse dici, sed omnino unam aquam; quamquam de singulis poculis interrogatus in quolibet horum aquam esse respondeas: quamvis nullus hic transitus fiat, sicut de fonte in fluvium dicebamus. Sed haec non propter illius divinae naturae similitudinem, sed propter visibilium etiam unitatem corporalia exempla data sunt, ut intelligeretur fieri posse, ut aliqua tria non tantum singillatim, sed etiam simul unum singulare nomen obtineant; nec quisquam miretur et absurdum putet quod Deum dicimus Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, nec tamen tres Deos in ista Trinitate sed unum Deum, unamque substantiam [1]).

---

[1]) Abundant Patrum scripta similitudinibus ad illustrandum quadantenus saltem incomprehensibile et ineffabile mysterium trinitatis in unitate et unitatis in trinitate. Similitudo prior ex fonte, fluvio, potione derivata reperitur plus minus apud Tertullianum (adv. Prax. c. 8 et 22); Victorinum afrum, qui ita canit (hymno 3. de Trinit. Migne 8, 1143 s.):

Fons, flumen, irrigatio, o beata Trinitas!
Semen, arbor, fructus, o beata Trinitas!

18. Et de Patre quidem ac Filio multis libris disseruerunt docti et spiritales viri,

---

S. Athanasius in sua expositione fidei eam ita proponit: „Ut enim fluvius ex fonte ortum habens ab eo non dividitur, nam una amborum est aqua, quamvis formae (σχήματα) duae sint duoque nomina, sic neque Pater est Filius, neque Filius Pater. Siquidem Pater Filii est Pater et Filius Patris Filius. Atque ut fons non est fluvius, neque fluvius fons, sed ambo una eademque sunt aqua, quae ex fonte manat in fluvium. Ita divinitas, quae ex Patre tranfunditur in Filium perenniter et sine divisione continuatur". Et iterum brevius (ep. 1. ad Serap. n. 19): „Ut Pater est fons et Filius fluvius, ita Spiritum bibere dicimur". Occurrit dein apud Hieronymum theologum graecum, Chrysostomum (hom. dubia in Ps. 96. n. 4. Migne patrol. gr. 55, 608) et Gregorium naz., qui in orat. de Sp. s. n. 31. haec de se scribit: „Oculum (ὀφθαλμὸν quod etiam caput, *scaturiginem* significat) quendam et fontem et fluvium mihi proposui, quemadmodum alii quoque, ut viderem num Pater cum oculo, Filius cum fonte, Spiritus s. cum fluvio proportione quadam conveniret: haec enim nec tempore distinguuntur nec ob continuitatem a se invicem, abrumpuntur, tribus nihilominus proprietatibus quodammodo scindi videntur". Haec in suum syntagma ad quendam politicum derivat auctor antiquus (inter opera spuria s. Athan. Migne 28, 1403), ubi, simul duplicem aliam similitudinem proponit ex sole, lumine radioque et ex mente, verbo ac spiritu petitam. Utitur ea quoque Anselmus adversus graecos, ad processionem Spiritus a Patre Filioque illustrandam, a cujus tamen verbis licet prae-

quibus quantum homines hominibus poterant, et quemadmodum non unus esset Pater et

---

claris afferendis brevitatis gratia abstinebimus. Altera vero similitudo ex arbore seu ex radice, robore et ramis deducta, quae hic penes s. Augustinum occurrit, placuit Victorino afro, ut patet ex verbis supra allatis; Hieronymo theologo graeco et Tertulliano (adv. Prax. c. 8), cujus haec sunt verba egregia: „Nec dubitaverim Filium dicere et radicis fruticem et fontis fluvium et solis radium: quia omnis origo parens et quod ex origine profertur progenies est: multo magis Sermo Dei, qui etiam proprie nomen Filii accepit. Nec frutex tamen a radice, nec fluvius a fonte, nec radius a sole discernitur sicut nec a Deo Sermo. Igitur secundum horum exemplorum formam profiteor me duos dicere, Deum et Sermonem ejus, Patrem et Filium ipsius. Nam et radix et frutex duae res sunt sed conjunctae. Et fons et flumen duae species sunt sed indivisae. Et sol et radius duae formae sunt sed cohaerentes. Omne quod prodiit ex aliquo secundum sit ejus necesse est, de quo prodiit; non idcirco tamen est separatum. Secundus autem ubi est, duo sunt. Et tertius ubi est, tres sunt. Tertius est enim Spiritus a Deo et Filio, sicut tertius a radice fructus ex frutice; et tertius a fonte rivus ex flumine et tertius a sole apex ex radio. Quibus verbis *tertia* indicatur similitudo, qua praeter Hieronymum hierosol., Prudentium (hamart. adv. Marc.) et Rufinum (comment. in symb. ap. n. 14). delectantur s. Athanasius et Cassiodorus, quorum ille Serapioni (ep. 1. n. 30) ita demonstrat, ibi Patrem et Filium esse, ubi est Spiritus sanctus: „Ubi lux est, illic et splendor quo-

Filius, sed unum essent; et quid proprie Pater esset, et quid Filius insinuare conati sunt:

---

que est; ubi item splendor est, ibi similiter et ejus efficientia et splendida est gratia". Alter vero (in Ps. 50) distinguere haec tria nos jubet: „Speciem ignis, splendorem et calorem. Splendor ab igne nascitur, calor ab igne et splendore generatur. Splendor est de igne et tamen sunt coaeva. Sic tria in sole occurunt, ipsa solis substantia, radius et lumen et tamen in his tribus est eadem lux; ut radius de sole nascitur, sic Filius de Patre generatur, calor ab utroque spiratur". Affinis huic similitudini est illa, quam Gregorius naz. (or. 31. al. 37. n. 14) hisce proponit: „Nobis Deus unus est, quoniam una Deitas; atque ad unum ea, quae ex eo sunt, referuntur, etiamsi tres personas credamus. Neque enim hoc magis, illud minus est Deus; nec hoc prius, illud posterius. Nec voluntate scinduntur, nec potentia dividuntur, nec denique quidquam eorum, quae dividuis rebus contingunt, hic quoque reperitur. Sed individua in dividuis, ut uno verbo dicam, est divinitas ac velut in tribus solibus mutuo cohaerentibus una lucis commixtio et temperatio". Ab his separari non debent quae Basilius (ep. 38) postquam iridem pereleganter depinxit, scribit: „Quemadmodum igitur in proposito exemplo et colorum discrimina aperte dignoscimus et divisionem alterius ab altero non possumus sensu apprehendere; sic mihi cogita de rebus divinis rationem iniri posse: hypostasum quidem proprietates, veluti quendam florem eorum, quae in iride apparent, micare et relucere in unaquaque earum personarum, quae in s. Trinitate creduntur; et proprietatis secundum naturam nullum omnino discrimen,

quod ille genitor, hic genitus; ille non de Filio, hic de Patre; hujus ille principium,

---

quo alter ab altero secernatur, excogitari, sed in communitate essentiae proprietates, ex quibus unaquaeque persona dignoscitur, in unaquaque resplendere. Nam et heic in exemplo una est essentia per solares radios refracta, ex qua multicolor ille splendor effulget: flos autem, qui apparet, multiplex est". *Quartam* similitudinem apud Didymum alex. (de Spir. s. n. 20 s) reperies. „Per aliud quoque Scripturarum exemplum, sic ille, Trinitatis unitas et natura et virtus ostenditur. Filius et manus et dextera et brachium Patris dicitur. Sicut crebro docuimus, ex his vocabulis unius naturae in differentia demonstratur. Spiritus etiam s. digitus Dei secundum conjunctionem naturae Patris et Filii nominatur . . . Si ergo conjunctus est digitus manui et manus ei, cujus manus est: et digitus sine dubio ad ejus substantiam refertur, cujus digitus est." Placuit haec similitudo Hieronymo theologo graeco, quem saepius jam laudavimus, qui plurimas similitudines aptas et minus aptas complectens, ita (in dial. inter judaeum et christianum de s. Trinitate ap. Gallandi t. 7. p. 524) disserit: „Sicut tu Deum Deique Spiritum non dicis duos deos, ita nec ego Patrem, Filium et Spiritum s. tres nuncupo Deos, absit sane! Sed quemadmodum sol ejusque calor et radiorum vis ex eo progrediens tria nomina sunt, una solis substantia: et sicut anima et ratio et corpus hominis non tres sunt homines; et sicut unguis digiti cum osse et carne non tres sunt digiti; ac veluti radix et ramus et folia arboris tres arbores non sunt; et sicut oculus et pupilla luxque oculi non tres reddunt oculos; et sicut

unde et caput Christi dicitur, quamvis et Christus principium, sed non Patris; hic vero

---

fons et fluvius rivusque ex fluvio promanans non sunt triplices undae; et sicut brachium, radix manus (καρπὸς) et palma non tres sunt manus; et sicut in rubu Moysis sermo erat et flamma et qui loquebatur; et quemadmodum in camino trium puerorum erat hymnus et flamma et ros, unus vero erat caminus; et sicut in numismate est aurum et imago et inscriptio imperatoris, sic in sacrosancta Trinitate inconfusa est unio in una trium personarum essentia ac divinitate". Subtiliora sunt quae Augustinus ad Nebridium (ep. 11. al. 268) n. 3. scribit: „Nulla natura est et omnino nulla substantia, quae non habeat in se haec tria et prae se gerat: primo ut sit, deinde ut hoc vel illud sit, tertio ut in eo quod est maneat quantum potest. Primum illud causam ipsam naturae ostentat, ex qua sunt omnia; alterum, speciem per quam fabricantur et quodammodo formantur omnia; tertium, manentiam quandam, ut ita dicam, in qua sunt omnino. Quod si fieri potest, ut aliquid sit quod non hoc vel illud sit, neque in genere suo maneat; aut hoc quidem aut illud sit, sed non sit neque in suo genere maneat quantum potest; aut in suo genere quidem pro ipsius sui generis viribus maneat, sed tamen nec sit, neque hoc vel illud sit: fieri etiam potest, ut in illa Trinitate aliqua persona praeter alias aliquid faciat. At si cernis necesse esse, ut quidquid sit, continuo et hoc aut illud sit et in suo genere maneat quantum potest, nihil tria illa praeter invicem faciunt . . . Breviter tibi aperire volui . . . quam subtiliter et quanta veritate in Catholica intelligatur hujusce inseparabilitas Trinitatis".

illius imago, quamvis nulla ex parte dissimilis et omnino indifferenter aequalis. Tra-

---

Nulla vero comparatione tam delectantur Patres quam ea, quae cum humana instituitur anima; in hac vestigia adumbrationesque tanti mysterii non obscuras reperiri haud pauci docent, inprimis vero Augustinus, qui saepe de hac adumbratione disputat (de civit. Dei l. 11. c. 26 ss. Confess. l. 13. c. 11; ep. 169 al. 102. n. 6 etc.) nominatim l. 9. de ss. Trinitate, quem hisce verbis absolvit: „Est quaedam imago Trinitatis ipsa mens et notitia ejus, quod est proles ejus ac de seipsa verbum ejus et amor tertius, et haec tria unum atque una substantia. Nec minor proles, dum tantum se novit mens quanta est, nec minor amor dum tantum se diligit quantum novit et quanta est". Augustino consentit auctor opusculi alias s. Ambrosio tributi *de dignitate conditionis humanae* c. 2., ubi inter alia haec habet: „Sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus s. est, non tamen tres dii sunt, sed unus Deus tres habens personas, ita et anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animae in uno corpore sed una anima tres habens dignitates". Ea libenter utuntur etiam Anselmus (monol. c. 28. ss.); Richardus a s. Victore, Lombardus (1. dist. 3); s. Thomas (c. gent. l. 4, c. 11, 19; comp. theol. cc. 37 ss. 1. p. q. 27. a. 3 etc.) infra in expos. in symb. apost. n. 28, 29. Cf. Thomassini de ss. Trinit. cc. 18 ss. Omnes vero hae similitudines comparationesve evidenter plane demonstrant, etiamsi alia deessent argumenta, Patrum fidem de una singularique prorsus trium personarum divinarum substantia, nihilque magis ab eorum mente esse alienum, quam pro perso-

ctantur haec latius ab eis, qui non tam breviter quam nos, totius christianae fidei pro-

---

narum numero in ss. Trinitate substantiam multiplicari. Mirum proinde est nostra aetate hunc illis potuisse tribui errorem. Fatendum quidem est, non deesse quandam penes Patres comparationem, quae illi favere jure aliquo videtur. Conferunt enim nonnunquam unitatem trium personarum cum unitate trium hominum, qui *unus homo* dici possunt. Ita in primis Gregorius nys. in ep. ad Ablavium *Cur non sint tres dii*, dein Cyrillus alex., Maximus dial. 1. de Trin. (qui ipsi adscribi solet) n. 2. 17, Anastasius sin. hex. l. 6 ubi ait: „Audis, insipiens judaee, et tu, barbare et samaritane, quemadmodum universa humanitas vocatur homo (Gen. 8, 21; Ps. 8, 5; 102, 15 etc.): eadem ergo regula divinitas quoque *unus Deus est* et appellatur". Ita Pseudo-Rufinus de fide n. 60; Theodorus Abucara opusc. 2. et 38; et Theorianus in disp. cum arm. Comparationem hanc minus aptam esse ad illustrandam unitatem in trinitate, nisi dextere accipiatur, non negamus. Eatenus scil. admitti potest, quatenus divinae naturae unitas objectiva et realis cum unitate confertur naturae humanae logica, quam habet in mente illius, qui eam abstrahendo ab individuis contemplatur. „In creaturis quidem, inquit omnino ad rem Damascenus (de fid. orthod. l. 1. c. 8), hypostaseon divisio ipsa re consideratur. Re namque ipsa Paulus a Petro sejunctus conspicitur, communitas vero et conjunctio et unitas solum ratione mentisque contemplatione tenetur . . In sancta autem et supersubstantiali cunctisque eminenti ac incomprehensa Trinitate contra se res habet. In ea enim

fessionem volunt explicare. Itaque in quantum Filius est, de Patre accepit ut sit, cum ille de Filio id non acceperit: et in quantum hominem, mutabilem scilicet creaturam in melius commutandam, ineffabili misericordia, temporali dispensatione suscepit, multa de illo in Scripturis inveniuntur ita dicta, ut

---

commune ac unum ipsa re intelligitur, discretio vero subtili mentis cogitatione consideratur". Tritheismi tamen notam Patribus illis, qui ea usi sunt similitudine, inurere propterea non licet. Aliunde enim satis constat hosce Patres ab aliorum de unitate Dei fide non dissensisse. Cf. Lequien in notis ad h. l.; Petavius de Trinit. l. 4. c. 9; Ruitz de Trinit d: 22. Ceterum superfluum est animadvertere, Patres licet ad mysterium ss. Trinitatis illustrandum similitudinibus delectentur et analogiis, non omittere cum Rufino docere (in symb. apost. n. 8): „Exempla non in omnibus his, quorum exempla sunt, esse similia: alioqui si eadem essent omnia, jam non exempla dicerentur sed ipsa potius res, de quibus agitur, viderentur. Deinde etiam illud dicendum est, quod nulla creatura talis esse potest, qualis creator ejus". Nam, ut sapienter statuit concilium lateranense IV. (c. 2. Damnamus) „inter creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin major inter eos sit dissimilitudo notanda". Hinc acute Gregorius naz. (or. 31. n. 5) exposcenti: „Da mihi ex eodem aliud filium, aliud non filium, quae consubstantialia sint, ac Deum et Deum admittam", reponit: „Da tu mihi quoque Deum alium Deique naturam, et tibi Trinitatem eandem cum iisdem nominibus et rebus dabo".

impias haereticorum mentes prius volentes docere quam nosse, in errorem miserint, ut putarent eum non aequalem Patri, nec ejusdem esse substantiae, qualia sunt illa: *Quoniam Pater major me est* (Jo. 14, 28): et, *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus* (1 Cor. 11, 3); et, *Tunc ipse subjectus erit ei, qui illi subjecit omnia* (1 Cor. 15, 28); et, *Vado ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (Jo. 20, 17); et nonnulla hujusmodi: quae omnia posita sunt, non ut naturae atque substantiae inaequalitatem significent, ne falsa sint illa: *Ego et Pater unum sumus* (Jo. 10, 30); et, *Qui me vidit, vidit et Patrem meum* (Jo. 14, 9); et, *Deus erat Verbum*; non enim factus est, cum omnia per ipsum facta sint: et, *Non rapinam arbitratus est esse aequalis Deo* (Philip. 2, 6); et cetera talia: sed illa posita sunt, partim propter administrationem suscepti hominis, qua dicitur, *Semetipsum exinanivit*; non quia mutata est illa Sapientia, cum sit omnino incommutabilis; sed quia tam humiliter hominibus innotescere voluit: partim ergo propter hanc administrationem illa ita scripta sunt, de quibus haeretici calumniantur; partim pro-

pter hoc, quia Filius Patri debet quod est, hoc etiam debens utique Patri quod eidem Patri aequalis aut par est; Pater autem nulli debet quidquid est.

19. De Spiritu sancto autem nondum tam copiose ac diligenter disputatum est a doctis et magnis divinarum Scripturarum tractatoribus, ut intelligi facile possit et ejus proprium, quo proprio fit ut eum neque Filium neque Patrem dicere possimus, sed tantum Spiritum sanctum; nisi quod eum donum Dei esse praedicant, ut Deum credamus non se ipso inferius donum dare. Servant tamen ut non genitum Spiritum sanctum tamquam Filium de Patre praedicent; unicus enim est Christus: neque de Filio tamquam nepotem summi Patris: nec tamen id quod est, nulli debere, sed Patri, ex quo omnia; ne duo constituamus principia sine principio, quod falsissimum est et absurdissimum, et non catholicae fidei, sed quorundam haereticorum errori proprium. Ausi sunt tamen quidam ipsam communionem Patris et Filii, atque (ut ita dicam) deitatem, quam Graeci θεότητα appellant, Spiritum sanctum credere: ut, quoniam Pater Deus et Filius Deus, ipsa deitas, qua sibi copulantur et ille gignendo filium et ille Patri cohaerendo, ei a

quo est genitus aequetur. Hanc ergo deitatem, quam etiam dilectionem in se invicem amborum caritatemque volunt intelligi, Spiritum sanctum appellatum dicunt, multisque Scripturarum documentis adsunt huic opinioni suae; sive illo quod dictum est: *Quoniam caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis* (Rom. 5, 5); sive aliis multis talibus testimoniis; et eo ipso quod per Spiritum sanctum reconciliamur Deo, unde etiam cum donum Dei dicitur, satis significari volunt caritatem Dei esse Spiritum sanctum. Non enim reconciliamur illi, nisi per dilectionem, qua etiam filii appellamur: non jam sub timore tamquam servi, quia consummata dilectio foras mittit timorem; et Spiritum libertatis accepimus, *in quo clamamus, Abba Pater* (Rom. 8, 15). Et quia reconciliati et in amicitiam revocati per caritatem poterimus omnia Dei secreta cognoscere, propterea de Spiritu sancto dicitur: *Ipse vos inducet in omnem veritatem* (Jo. 16, 13). Propterea et confidentia praedicandae veritatis, qua impleti sunt in adventu ejus apostoli, recte caritati tribuitur: quia et diffidentia timori datur, quem consummatio caritatis excludit. Ideo etiam donum Dei

dicitur, quia eo quod quisque novit non fruitur, nisi et id diligat. Frui autem sapientia Dei, nihil est aliud quam ei dilectione cohaerere: neque quisquam in eo quod percipit permanet nisi dilectione; et ideo Spiritus sanctus dicitur, quoniam ad permanendum sanciuntur quaecunque sanciuntur, nec dubium est a sanciendo sanctitatem vocari. Maxime autem illo testimonio utuntur assertores hujus sententiae, quod scriptum est: *Quod natum est de carne, caro est; et quod natum est de Spiritu, spiritus est* (Joan. 3, 6): *quoniam Deus Spiritus est* (Jo. 4, 24). Hic enim regenerationem nostram dicit, quae non secundum Adam de carne est, sed secundum Christum de Spiritu sancto. Quapropter si Spiritus sancti hoc loco facta est commemoratio, cum dictum est, *Quoniam Deus Spiritus est*; animadvertendum dicunt, non dictum esse, quoniam Spiritus Deus est; sed, *Quoniam Deus Spiritus est*; ut ipsa deitas Patris et Filii hoc loco dicta sit Deus, quod est Spiritus sanctus. Huc accedit aliud testimonium, quod dicit Joannes apostolus: *Quoniam Deus dilectio est* (1. Joan. 4, 16). Etiam hic enim non ait: Dilectio Deus est; sed, *Deus dilectio est*; ut ipsa deitas dilectio intelligatur. Et quod in

illa enumeratione connexarum sibi rerum, ubi dicitur: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei* (1 Cor. 3, 22), et, *Caput mulieris vir, caput viri Christus, caput autem Christi Deus* (1 Cor. 11, 3); nulla fit commemoratio Spiritus sancti, ad hoc pertinere dicunt, quia non fere in iis, quae sibi connexa sunt, numerari solet ipsa connexio. Unde in illo etiam loco Trinitatem ipsam videntur agnoscere qui legunt attentius, cum dicitur: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia* (Rom. 11, 36). *Ex ipso*, tamquam ex eo, qui nulli debet quod est; *per ipsum*, tamquam per mediatorem; *in ipso*, tamquam in eo qui continet, id est, copulatione conjungit.

20. Huic sententiae contradicunt, qui arbitrantur istam communionem, quam sive deitatem sive dilectionem sive caritatem appellamus, non esse substantiam: quaerunt autem secundum substantiam sibi exponi Spiritum sanctum, nec intelligunt non aliter potuisse dici: *Deus dilectio est* (1 Joan. 4, 16), nisi esset dilectio substantia. Ducuntur quippe consuetudine rerum corporalium; quoniam si duo sibi corpora copulentur, ita ut juxta invicem collocentur, ipsa copulatio non est corpus; quandoquidem separatis illis

corporibus, quae copulata fuerant, nulla invenitur: nec tamen quasi discessisse et migrasse intelligitur, sicut illa corpora. Sed hi tales cor mundum faciant, quantum possunt, ut videre valeant in Dei substantia non esse aliquid tale, quasi aliud ibi sit substantia, aliud quod accidat substantiae, et non sit substantia; sed quidquid ibi intelligi potest, substantia est. Verum haec dici possunt facile et credi: videri autem nisi corde puro quomodo se habeant, omnino non possunt. Quapropter sive ista vera sit sententia, sive aliud aliquid sit, fides inconcussa tenenda est, ut Deum dicamus Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum; neque tres deos, sed istam Trinitatem unum Deum; neque diversos natura, sed ejusdem substantiae, neque ut Pater aliquando sit Filius, aliquando sit Spiritus sanctus; sed Pater semper Pater, et Filius semper Filius, et Spiritus sanctus semper Spiritus sanctus. Nec temere de invisibilibus aliquid affirmemus tamquam scientes, sed tamquam credentes; quoniam videri nisi mundato corde non possunt: et qui ea videt in hac vita ex parte, ut dictum est, atque in aenigmate, non potest efficere ut et ille videat, cui loquitur, si cordis sordibus impeditur. *Beati* autem *mundo corde, quo-*

niam ipsi Deum videbunt (Matth. 5, 8). Haec fides est de Deo conditore et renovatore nostro.

CAPUT X.

De Ecclesia catholica.

21. Sed quoniam dilectio non tantum in Deum nobis imperata est, cum dictum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* (Luc. 10, 27), sed etiam in proximum; nam, *Diliges*, inquit, *proximum tuum tanquam te ipsum* (Luc. ibid.): si autem ista fides congregationem societatemque hominum non teneat, in qua fraterna caritas operetur, minus fructuosa est: credimus et *sanctam Ecclesiam*, utique *catholicam*. Nam et haeretici et schismatici congregationes suas ecclesias vocant. Sed haeretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant, schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant quae credimus. Quapropter nec haeretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quae diligit Deum; nec schismatici, quoniam diligit proximum; et ideo peccatis proximi facile ignoscit, quia sibi precatur ignosci

ab illo, qui nos reconciliavit sibi, delens omnia praeterita et ad vitam novam nos vocans: quam vitam donec perfectam capiamus, sine peccatis esse non possumus: interest tamen qualia sint.

22. Nec de peccatorum differentia modo tractandum est, sed credendum omnino, nullo modo nobis ignosci ea quae peccamus, si nos inexorabiles ad ignoscenda peccata fuerimus. Itaque credimus et *remissionem peccatorum.*

CAPUT XI.

De totius hominis in melius commutatione resurrectione perficienda.

23. Et quoniam tria sunt quibus homo constat, spiritus, anima et corpus: quae rursus duo dicuntur, quia saepe anima simul cum spiritu nominatur; pars enim quaedam ejusdem rationalis, qua carent bestiae, spiritus dicitur; principale nostrum spiritus est: deinde vita qua conjungimur corpori, anima dicitur: postremo ipsum corpus quoniam visibile est, ultimum nostrum est. Haec autem omnis creatura ingemiscit et parturit usque nunc: dedit tamen primitias spiritus, quia credidit Deo, et bonae jam voluntatis est. Hic spiritus etiam vocatur mens, de quo dicit

Apostolus: *Mente servio legi Dei* (Rom. 7, 25). Qui item alio loco dicit: *Testis est enim mihi Deus, cui servio in spiritu meo* (Rom. 1, 9). Anima vero cum carnalia bona adhuc appetit, caro nominatur. Pars enim ejus quaedam resistit spiritui, non natura, sed consuetudine peccatorum. Unde dicitur: *Mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Quae consuetudo in naturam versa est secundum generationem mortalem peccato primi hominis. Ideoque scriptum est: *Et nos aliquando fuimus naturaliter filii irae* (Ephes. 2, 3), id est vindictae, per quam factum est ut serviamus legi peccati. Est autem animae natura perfecta, cum spiritui suo subditur, et cum sequitur sequentem Deum. Ideo *animalis homo non percipit quae sunt Spiritus Dei* (1. Cor. 2, 14). Sed non tam cito anima subjugatur spiritui ad bonam operationem, quam cito spiritus Deo ad veram fidem et bonam voluntatem: sed aliquando tardius ejus impetus, quo in carnalia et temporalia defluit, refrenatur. Sed quoniam et ipsa mundatur, recipiens stabilitatem naturae suae dominante spiritu, quod sibi caput est, cui ejus capiti caput est Christus, non est desperandum etiam corpus restitui naturae propriae: sed utique non tam cito quam

anima, sicut neque anima tam cito quam spiritus; sed tempore opportuno in novissima tuba, cum *mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur*. Et ideo credimus et *carnis resurrectionem*; non tantum quia reparatur anima, quae nunc propter carnales affectiones caro nominatur; sed haec etiam visibilis caro, quae naturaliter est caro, cujus nomen anima non propter naturam, sed propter affectiones carnales accepit: haec ergo visibilis, quae proprie dicitur caro, sine dubitatione credenda est resurgere. Videtur enim Paulus apostolus eam tamquam digito ostendere, cum dicit: *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem* (1. Cor. 15, 53). Cum enim dicit, *hoc*, in eam quasi digitum intendit. Quod autem visibile est, id potest digito ostendi: quoniam posset etiam anima corruptibilis dici; nam vitiis morum ipsa corrumpitur. *Et mortale hoc induere immortalitatem*, cum legitur, eadem significatur visibilis caro, quia in eam idemtidem velut digitus intenditur. Potest enim et anima sicut corruptibilis propter morum vitia, ita etiam mortalis dici. *Mors* quippe animae *est apostatare a Deo* (Eccli. 10, 14): quod primum ejus peccatum in paradiso sacris literis continetur.

24. Resurget igitur corpus secundum christianam fidem, quae fallere non potest. Quod cui videtur incredibile, qualis nunc sit caro attendit, qualis autem futura sit non considerat: quia illo tempore immutationis angelicae non jam caro erit et sanguis, sed tantum corpus. Cum enim de carne Apostolus loqueretur, *Alia,* inquit, *caro pecorum, alia volucrum, alia piscium, alia serpentum; et corpora coelestia, et corpora terrestria.* Non enim dixit, et caro coelestis: dixit autem, *et coelestia et terrestria corpora* (1. Cor. 15, 39). Omnis enim caro etiam corpus est, non autem omne corpus etiam caro est: primo in istis terrestribus, quoniam lignum corpus est, sed non caro: hominis autem vel pecoris et corpus et caro est: in coelestibus vero nulla caro, sed corpora simplicia et lucida, quae appellat Apostolus spiritalia; nonnulli autem vocant aetherea. Et ideo non carnis resurrectioni contradicit illud quod ait: *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt* [1]) (1. Cor. 15): sed quale futurum sit quod nunc caro et sanguis est, praedicat. In qualem naturam quis-

---

[1]) „In hoc libro, scribit Augustinus h. l. retractans (retract. l. 1. c. 17), cum de resurrectione

quis hanc carnem converti posse non credit, gradibus ducendus est ad fidem. Si enim ab eo quaeras utrum terra in aquam possit converti, propter vicinitatem non ei videtur incredibile. Rursum si quaeras, utrum aqua

---

carnis ageretur, *Resurget*, inquam, *corpus secundum christianam fidem* . . . et cetera, quae ibi de corporum terrestrium in corpora coelestia mutatione disserui, quoniam dixit Apostolus, cum inde loqueretur, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.* Sed quisquis ea sic accipit, ut existimet ita corpus terrenum, quale nunc habemus, in corpus coeleste resurrectione mutari, ut nec membra ista nec carnis futura sit substantia, procul dubio corrigendus est, commonitus de corpore Domini, qui post resurrectionem in eisdem membris non solum conspiciendus oculis, verum etiam manibus tractandus apparuit, carnemque se habere etiam sermone firmavit, dicens: *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere* (Luc. 24, 39). Unde constat, Apostolum non carnis substantiam negasse in Dei regno futuram; sed aut homines, qui secundum carnem vivunt, carnis et sanguinis nomine nuncupasse, aut ipsam carnis correptionem, quae tunc utique nulla erit. Nam cum dixisset, *Caro et sanguis regnum Dei non possidebunt,* bene intelligitur tamquam exponendo quid dixerit subdidisse, *Neque corruptio incorruptionem possidebit* (1. Cor. 15, 50). De qua re ad persuadendum infidelibus difficili, diligenter quantum potui me disseruisse reperiet, quisquis *de civitate Dei* librum legerit novissimum (cc. 5, 21).

possit in aerem; neque hoc absurdum esse respondet, vicina enim sunt sibi. Et de aere si quaeratur, utrum in aethereum corpus, id est, coeleste possit mutari; jam ipsa vicinitas persuadet. Quod ergo per hos gradus fieri posse concedit, ut terra in corpus aethereum convertatur, cur non accedente Dei voluntate, qua corpus humanum supra aquas potuit ambulare, celerrime id fieri posse, quemadmodum dictum est, *in ictu oculi* (1. Cor. 15, 52), sine ullis talibus gradibus credit, sicut plerumque fumus in flammam mira celeritate convertitur? Caro enim nostra utique ex terra est: philosophi autem, quorum argumentis saepius resurrectioni carnis resistitur, quibus asserunt nullum esse posse terrenum corpus in coelo, quodlibet corpus in omne corpus converti et mutari posse concedunt. Qua corporis resurrectione facta a temporis conditione liberati, aeterna vita ineffabili caritate atque stabilitate sine corruptione perfruemur. Tunc enim fiet illud quod scriptum est: *Absorpta est mors in victoriam. Ubi est mors aculeus tuus? ubi est mors contentio tua* (1. Cor. 15, 54)?

25. Haec est fides, quae paucis verbis tenenda in symbolo novellis christianis

datur. Quae pauca verba fidelibus nota sunt, ut credendo subjugentur Deo, subjugati recte vivant, recte vivendo cor mundent, corde mundato quod credunt intelligant.

DIVI THOMAE

AQUINATIS DOCTORIS ANGELICI IN SYMBOLUM APOSTOLORUM,

SCILICET CREDO IN DEUM,

EXPOSITIO[1].

ARTICULUS I.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Creatorem coeli, et terrae.

I. Fidei bonum quadruplex.

Primum quod est necessarium christiano est fides, sine qua nullus dicitur fidelis christianus. Fides autem facit quatuor bona. *Primum* est quod per fidem anima coniun-

[1] Sicut *expositionem in orationem dominicam* (cf. opusc. t. 2. p. 88) ita et hunc commentarium Petrus de Alva (ap. Piccinardum, de approb. doctrinae d. Thomae q. 7. a. 2. n. 5.) et Oudinus (comment. de script. eccl. antiquis 3, 336) doctori angelico abjudicant. Eum Innocentii III. esse censet ille, hic vero Henrici de Vrimaria O. Aug. Sed Bern. Mar. de Rubeis (in admonit. praevia t. 8. op. d. Thomae ed. ven. a. 1747 §. 1, 2) contra eos ostendit, vetustos scriptores vel ipsius Thomae discipulos et socios vel eidem synchronos supparesque, qui di-

gitur Deo: nam per fidem anima christiana facit quasi quoddam matrimonium cum Deo: Osee 2, 20. *Sponsabo te mihi in fide.* Et inde est quod quando homo baptizatur, primo confitetur fidem, cum dicitur ei: *Credis in Deum?* quia baptismus est primum sacramentum fidei. Et ideo dicit Dominus: Marc. ult. 16. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Baptismus enim sine fide non prodest. Et ideo sciendum est, quod nullus est acceptus Deo sine fide. Hebr. 11, 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et ideo dicit Augustinus super illud, Rom. 14. 23. *Omne quod non est ex fide, peccatum est:* „Ubi non est aeternae et incommutabilis veritatis agnitio, falsa est virtus etiam in optimis moribus." *Secundo* quia per fidem inchoatur in nobis vita aeterna: nam vita aeterna nihil aliud est quam cognoscere Deum: unde dicit Dominus Joan. 17, 3: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum.* Haec autem cognitio Dei incipit hic per fidem, sed perficitur in vita futura, in qua cognoscemus eum sicuti est: et ideo dicitur Hebr. 11, 1: *Fides est*

---

ligentissimi operum ejus vel opusculorum scrutatores fuere, et hanc expositionem inter genuina ejus opera agnovisse.

substantia sperandarum rerum. Nullus ergo potest pervenire ad beatitudinem, quae est vera cognitio Dei, nisi primo cognoscat per fidem. Joan. 20, 29. *Beati qui non viderunt, et crediderunt. Tertio* quia fides dirigit vitam praesentem: nam ad hoc quod homo bene vivat, oportet quod sciat necessaria ad bene vivendum: et si deberet omnia necessaria ad bene vivendum per studium addiscere; vel non posset pervenire, vel post longum tempus. Fides autem docet omnia necessaria ad bene vivendum. Ipsa enim docet quod est unus Deus, qui est remunerator bonorum et punitor malorum; et quod est alia vita, et hujusmodi: quibus satis allicimur ad bonum et vitamus malum. Habac. 2, 4. *Justus meus ex fide vivit*. Et hoc etiam patet, quia nullus philosophorum ante adventum Christi cum toto conatu suo potuit tantum scire de Deo, et de necessariis ad vitam aeternam, quantum post adventum Christi scit una vetula per fidem: et ideo dicitur: *repleta est terra scientia Domini* (Jsa. 11, 9). *Quarto* quia fides est qua vincimus tentationes. Heb. 11, 33. *Sancti per fidem vicerunt regna*. Et hoc patet, quia omnis tentatio vel est a diabolo, vel a mundo, vel a carne. Diabolus enim tentat ut non obedias

Deo, nec subjiciaris ei. Et hoc per fidem removetur: nam per fidem cognoscimus quod ipse est Dominus omnium, et ideo sibi est obediendum. 1. Pet. 5. 8. *Adversarius vester diabolus circuit quaerens quem devoret: cui resistite fortes in fide.* Mundus autem tentat vel alliciendo prosperis, vel terrendo adversis. Sed haec vincimus per fidem, quae facit nos credere aliam vitam meliorem ista: et ideo prospera mundi hujus despicimus, et non formidamus adversa. 1. Joan. 5, 4. *Haec est victoria quae vincit mundum, fides nostra*: et etiam quia docet nos credere alia maiora mala, scilicet inferni. Caro vero tentat inducendo nos ad delectationes vitae praesentis momentaneas. Sed fides ostendit nobis quod per has, si eis indebite adhaeremus, aeternas delectationes amittimus. Ephes. 6, 16. *In omnibus sumentes scutum fidei.* Sic ergo patet quod multum est utile habere fidem.

II. Credere est rationi consentaneum.

Sed dicit aliquis: Stultum est credere quod non videtur, nec sunt credenda quae non videntur. Respondeo dicendum, quod hoc dubium *primo* tollit imperfectio intellectus nostri: nam si homo posset perfecte

per se cognoscere omnia visibilia et invisibilia, stultum esset credere quae non videmus; sed cognitio nostra est adeo debilis, quod nullus philosophus potuit unquam perfecte investigare naturam unius muscae: unde legitur, quod unus philosophus fuit triginta annis in solitudine, ut cognosceret naturam apis. Si ergo intellectus noster est ita debilis, nonne stultum est nolle credere de Deo, nisi illa tantum quae homo potest cognoscere per se? Et ideo contra hoc dicitur: *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram* (Job. 36, 26). *Secundo* potest responderi, quia, dato quod aliquis magister aliquid diceret in sua scientia, et aliquis rusticus diceret non esse ita sicut magister doceret, eo quod ipse non intelligeret, multum reputaretur stultus ille rusticus. Constat autem quod intellectus angeli excedit magis intellectum optimi philosophi, quam intellectus optimi philosophi intellectum rustici. Et ideo stultus est philosophus, si nolit credere ea, quae angeli dicunt, et multo magis si nolit credere ea, quae Deus dicit. Et contra hoc dicitur: *Plurima supra sensum hominum ostensa sunt tibi* (Eccli. 3, 25). *Tertio* responderi potest, quia, si homo nollet credere nisi ea, quae cognosceret, certe

non posset vivere in hoc mundo. Quomodo enim aliquis vivere posset, nisi crederet alicui? Quomodo etiam crederet quod talis esset pater suus? Et ideo est necesse quod homo credat alicui de iis, quae perfecte non potest scire per se: sed nulli est credendum sicut Deo; et ideo illi qui non credunt dictis fidei, non sunt sapientes, sed stulti et superbi, sicut dicit Apostolus 1. ad Tim. 6, 4: *Superbus est, nihil sciens*. Propterea dicebat 2. Tim. 1. 12: *Scio cui credidi, et certus sum*. Eccli. 11, 8. *Qui timetis Deum, credite illi*. *Quarto* potest etiam responderi, quia Deus probat quod ea, quae docet fides, sunt vera. Si enim rex mitteret literas cum sigillo suo sigillatas, nullus auderet dicere, quod illae literae non processissent de regis voluntate. Constat autem quod omnia quae sancti crediderunt, et tradiderunt nobis de fide Christi, signata sunt sigillo Dei: quod sigillum ostendunt illa opera, quae nulla pura creatura facere potest: et haec sunt miracula, quibus Christus confirmavit dicta apostolorum et sanctorum. Si dicas, quod miracula nullus vidit fieri. Respondeo ad hoc. Constat enim quod totus mundus colebat idola, et fidem Christi persequebatur, sicut paganorum etiam historiae tradunt, sed

modo omnes conversi sunt ad Christum, et sapientes, et nobiles, et divites, et potentes, et magni ad praedicationem simplicium, et pauperum, et paucorum praedicantium Christum. Aut ergo hoc est miraculose factum, aut non. Si miraculose, habes propositum. Si non, dico quod non potuit esse majus miraculum quam quod mundus totus sine miraculis converteretur. Non ergo quaerimus aliud. Sic ergo nullus debet dubitare de fide, sed credere ea quae fidei sunt magis quam ea quae videt: quia visus hominis potest decipi, sed Dei scientia nunquam fallitur.

III. Providentia Dei.

Credo in unum Deum. Inter omnia quae debent credere fideles, hoc est primum quod debent credere, scilicet quod sit unus Deus. Considerandum autem, quid significet hoc nomen *Deus*: quod quidem nihil est aliud quam gubernator, et provisor rerum omnium. Ille igitur credit Deum esse, qui credit omnes res mundi hujus gubernari, et provideri ab illo. Qui autem credit quod omnia proveniant a casu, hic non credit Deum esse. Nullus autem invenitur adeo stultus, qui non credat, quod res naturales gubernentur, provideantur et disponantur; cum in quodam ordine

et certis temporibus procedant. Videmus enim solem, et lunam, et stellas, et alias res naturales omnes servare determinatum cursum; quod non contingeret, si a casu essent: unde si aliquis esset qui non crederet Deum esse, stultus esset. Psal. 13, 1. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Sunt autem aliqui, qui licet credant Deum gubernare et disponere res naturales, non tamen credunt Deum esse humanorum actuum provisorem, qui scilicet credunt actus humanos non disponi a Deo. Cuius ratio est, quia vident in mundo isto bonos affligi et malos prosperari; quod videtur tollere providentiam divinam circa homines: unde in persona eorum dicitur: *Circa cardines coeli perambulat, nec nostra considerat* (Job. 22, 14). Hoc autem est valde stultum. Nam istis accidit, sicut si aliquis nesciens medicinam, videret medicum propinantem uni infirmo aquam, alteri vinum, secundum scilicet quod ars medicinae dictat: crederet quod hoc fiat a casu, cum nesciat artem medicinae, quae ex justa causa hoc facit, scilicet quod isti dat vinum, illi vero aquam. Sic est de Deo. Deus enim ex justa causa et sua providentia disponit ea, quae sunt hominibus necessaria; et sic quosdam bonos affligit, et quosdam

malos in prosperitate dimittit. Unde qui credit hoc provenire a casu, est et reputatur insipiens: quia non contingit hoc, nisi quia nescit artem et causam dispositionis divinae. Job. 11, 6. *Utinam ostenderet tibi secreta sapientiae, et quod multiplex esset lex ejus.* Et ideo firmiter credendum est, quod Deus gubernat et disponit non solum res naturales, sed etiam actus humanos. Psalm. 93, 7. *Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Intelligite insipientes in populo, et stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet; aut qui finxit oculum, non considerat? Dominus scit cogitationes hominum.* Omnia ergo videt, et cogitationes et occulta voluntatis. Unde et hominibus specialiter imponitur necessitas bene faciendi, quia omnia quae cogitant et faciunt, divino conspectui sunt manifesta. Apostolus: *Omnia nuda sunt et aperta oculis ejus* (Hebr. 14, 13).

IV. Unitas Dei et origo polytheismi.

Est autem credendum, quod hic Deus, qui omnia disponit et regit, sit unus Deus tantum. Cujus ratio est, quia illa dispositio rerum humanarum est bene disposita, in qua multitudo invenitur disponi et gubernari per

unum. Nam multitudo praesidentium inducit saepe dissensionem in subditis: unde cum divinum regimen praeemineat regimini humano, manifestum est, quod regnum mundi non est per multos deos, sed per unum tantum. Sunt autem quatuor, ex quibus homines inducti sunt ad ponendum plures deos. *Primum* est imbecillitas intellectus humani. Nam homines imbecillis intellectus non valentes corporalia transcendere, non crediderunt aliquid esse ultra naturam corporum sensibilium; et ideo inter corpora illa posuerunt praeeminere et disponere mundum, quae pulchriora et digniora inter ea videbantur; et eis attribuebant et impendebant divinum cultum: et hujusmodi sunt corpora coelestia, scilicet sol et luna et stellae. Sed istis accidit sicut alicui eunti ad curiam regis, qui volens videre regem, credit quemcunque bene indutum vel in officio constitutum, regem esse: de quibus dicitur Sap. 13, 2. *Solem, et lunam, aut gyrum stellarum, rectores orbis terrarum deos putaverunt.* Jsa. 51, 6. *Levate in excelsum oculos vestros, et videte sub terra deorsum: quia coeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut haec interibunt; salus autem mea*

in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. Secundo provenit ex adulatione hominum: nam aliqui volentes adulari dominis et regibus honorem Deo debitum eis exhibuerunt, obediendo eis et subjiciendo se eis: unde et aliquos post mortem fecerunt deos, alios etiam in vita dixerunt deos. Judith. 5, 29. *Sciat omnis gens, quomodo Nabuchodonosor deus terrae est, et praeter ipsum alius non est. Tertio* provenit ex carnali affectu ad filios et consanguineos: nam aliqui propter nimium amorem, quem ad suos habebant, faciebant statuas post eorum mortem, et sic ex hoc processum est, quod illis statuis divinum cultum impendebant: de quibus dicitur Sap. 14, 21: *Quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus, et lignis imposuerunt. Quarto* ex malitia diaboli. Ipse enim ab initio voluit aequiparari Deo: unde ipse ait. Esa. 14, 13: *Ponam sedem meam ab aquilone, in coelum conscendam, et ero similis Altissimo.* Et hanc voluntatem nondum deposuit; et ideo totus conatus suus in hoc exsistit, ut faciat se ab hominibus adorari, et sacrificia sibi offerri: non quod delectetur in uno cane vel cato, qui ei offertur, sed delectatur in hoc quod

ei impendatur reverentia sicut Deo: unde et Christo dixit. Matth. 4, 9: *Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Inde est etiam quod intrantes idola, dabant responsa, ut scilicet venerarentur ut dii. Psalm. 65, 5. *Omnes dii Gentium daemonia.* Apostolus: *Sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo* (1. Corinth. 10, 20). Licet autem haec sint horribilia, sunt tamen aliquando et multi, qui frequenter incidunt in istas quatuor causas. Et licet non ore aut corde, tamen factis ostendunt se credere plures deos. Nam qui credunt quod corpora coelestia possunt in voluntatem hominis imprimere, et qui in factis suis certa accipiunt tempora, ii ponunt corpora coelestia esse deos et aliis dominari, facientes astrolabia. Hierem. 10, 2. *A signis coeli nolite metuere, quae timent gentes, quia leges populorum vanae sunt.* Item omnes illi qui obediunt regibus plus quam Deo, vel in illis, in quibus non debent, constituunt eos deos suos Act. 5. 29. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Item illi qui diligunt filios aut consanguineos plus quam Deum, ostendunt factis suis plures esse deos. Vel etiam illi, qui diligunt escam plus quam Deum, de quibus Apostolus Philip. 3, 19: *Quorum deus ven-*

ter est. Item omnes illi, qui insistunt veneficiis et incantationibus, credunt daemones esse deos: cuius ratio est, quia petunt a daemonibus id, quod solus Deus dare potest, scilicet revelationem alicujus rei occultae et veritatem futurorum. Est ergo primo credendum, quod Deus est unus tantum.

V. Deus omnium creator.

Patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae. Sicut dictum est, primum quod credere debemus est, quod sit unus solus Deus; secundum est, quod iste Deus sit creator et factor coeli et terrae, visibilium et invisibilium. Et ut rationes subtiles dimittantur ad praesens, quodam rudi exemplo manifestatur propositum, quod scilicet omnia sunt a Deo creata et facta. Constat enim quod si aliquis intraret domum aliquam, et in ipsius domus introitu sentiret calorem, postmodum vadens interius sentiret majorem colorem et sic deinceps, crederet ignem esse interius, etiam si ipsum ignem non videret, qui causaret dictos calores; sic quoque contingit consideranti res hujus mundi. Nam ipse invenit res omnes secundum diversos gradus pulchritudinis et nobilitatis esse dispositas; et quanto magis appropinquat Deo,

tanto pulchriora, et meliora invenit. Unde corpora coelestia pulchriora et nobiliora sunt quam corpora inferiora, et invisibilia visibilibus; et ideo credendum est, quod omnia haec sunt ab uno Deo, qui dat suum esse singulis rebus, et nobilitatem. Sapient. 13, 1. *Vani sunt autem omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex*: et infra: *A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Sic ergo pro certo debet nobis constare, quod omnia quae sunt in mundo, a Deo sunt.

VI. Triplex contra dogma de creatione error.

Circa hoc autem debemus vitare tres errores. *Primus* est error manichaeorum, qui dicunt, quod omnia visibilia creata sunt a diabolo; et ideo Deo solum attribuunt creationem invisibilium: et causa hujus erroris est, quia ipsi Deum asserunt summum bonum, sicut et verum est, et omnia, quae a bono sunt, bona esse: unde nescientes discernere, quid sit malum et quid bonum, crediderunt quod omnia illa, quae sunt aliqualiter mala, simpliciter essent mala; sicut

ignis, quia urit, dicitur ab eis simpliciter malus; et aqua, quia suffocat; et sic de aliis. Unde quia nihil istorum sensibilium est simpliciter bonum, sed aliqualiter malum et deficiens, dixerunt, quod visibilia omnia non sunt facta a Deo bono, sed a malo. Contra hos ponit Augustinus tale exemplum. Si aliquis intraret domum fabri, et inveniret instrumenta ad quae impingeret, et laederent eum, et ex hoc reputaret illum fabrum malum, quia tenet talia instrumenta, stultus esset, cum faber ea teneat ad opus suum: ita stultum est dicere, quod per hoc creaturae sint malae, quia sunt in aliquo nocivae: nam quod uni est nocivum, alteri est utile. Hic autem error est contra fidem Ecclesiae; et ideo ad hunc removendum dicitur: *Visibilium omnium et invisibilium.* Genes. 1. 1. *In principio creavit Deus coelum et terram.* Joan. 1, 3. *Omnia per ipsum facta sunt. Secundus* est error ponentium mundum ab aeterno, secundum quem modum loquitur Petrus dicens 2. Pet. 3. 4: *Ex quo patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae:* Et isti ducti sunt ad hanc positionem, quia nescierunt considerare principium mundi. Unde, sicut Rabbi Moyses dicit, istis contingit sicut puero, qui, si

statim cum nascitur, poneretur in insula, et nunquam videret mulierem praegnantem, nec puerum nasci; et diceretur isti puero, quando magnus esset, qualiter homo concipitur, portatur in utero et nascitur, nulli crederet sibi dicenti, quia impossibile sibi videretur, quod homo posset esse in utero matris. Sic isti considerantes statum mundi praesentem, non credunt quod inceperit. Est etiam hoc contra fidem Ecclesia: et ideo ad hoc removendum dicitur: *Factorem coeli et terrae.* Si enim fuerunt facta, constat quod non semper fuerunt; et ideo dicitur in Psalm. 148, 5: *Dixit, et facta sunt. Tertius* est error ponentium, Deum fecisse mundum ex praejacenti materia: et ad hoc ducti sunt, quia voluerunt metiri potentiam Dei secundum potentiam nostram: et ideo, quia homo nihil potest facere, nisi ex praejacenti materia, crediderunt quod eodem modo et Deus: unde dixerunt, quod in productione rerum habuit materiam praejacentem. Sed hoc non est verum: nam homo ideo nihil potest facere sine praejacenti materia, quia est factor particularis, et non potest inducere nisi hanc formam in determinata materia ab aliquo alio praesupposita. Cujus ratio est, quia virtus sua est determinata ad formam tantum;

et ideo non potest esse causa nisi hujus formae. Deus autem est universalis causa omnium rerum, et non solum creat formam, sed etiam materiam: unde et de nihilo omnia fecit; et ideo ad removendum hunc errorem dicitur: *Creatorem coeli et terrae.* In hoc enim differunt creare et facere, quia creare est de nihilo aliquid facere, facere autem est de aliquo aliquid facere. Si ergo ex nihilo fecit, credendum est quod iterum posset omnia facere, si destruerentur: unde potest caecum illuminare, mortuum suscitare, et cetera opera miraculosa facere. Sap. 12, 18. *Subest enim tibi, cum volueris, posse.*

VII. Quincuplex fructus, quem ex primo symboli articulo colligere possumus.

Ex hujusmodi autem consideratione homo dirigitur ad quinque. *Primo* ad cognitionem divinae majestatis: nam factor praeeminet factis: unde quia Deus est factor omnium rerum, constat eum eminentiorem omnibus rebus. Sap. 13, 3. *Quorum si specie delectati deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosor est .... Aut si virtutem et opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis quomodo qui haec fecit, fortior est illis.* Et inde est quod quidquid

potest intelligi vel cogitari, minus est ipso Deo. Job. 36, 26. *Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram. Secundo* ex hoc dirigitur ad gratiarum actionem: quia enim Deus est creator omnium rerum, certum est quod quidquid sumus et quidquid habemus, a Deo est: Apostolus 1. Corinth. 4, 7. *Quid habes quod non accepisti?* Psalm. 23, 1. *Domini est terra, et plenitudo ejus orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.* Et ideo debemus ei reddere gratiarum actiones. Psalm. 115, 3. *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Tertio* inducitur ad patientiam in adversis. Nam licet omnis creatura sit a Deo, et ex hoc sit bona secundum suam naturam, tamen si in aliquo noceat, et inferat nobis poenam, debemus credere, quod illa poena sit a Deo; non tamen culpa: quia nullum malum est a Deo, nisi quod ordinatur ad bonum: et ideo si omnis poena, quam homo suffert, est a Deo, debet patienter sustinere. Nam poenae purgant peccata, humiliant reos, provocant bonos ad amorem Dei. Job. 11, 10. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? Quarto* inducimur ad recte utendum rebus creatis: nam creaturis debemus uti ad hoc, ad quod

factae sunt a Deo. Sunt autem factae ad duo: scilicet ad gloriam Dei, quia *universa propter semetipsum* (id est ad gloriam suam) *operatus est Dominus*, ut dicitur Proverb. 16, 4, et ad utilitatem nostram: Deuteron. 4, 19. *Quae fecit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus.* Debemus ergo uti rebus ad gloriam Dei, ut scilicet in hoc placeamus Deo, et ad utilitatem nostram, ut scilicet ipsis utendo, non committamus peccatum. 1. Paralip. 21, 14. *Tua sunt omnia, et quae de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Quidquid ergo habes, sive scientiam sive sapientiam sive pulchritudinem, totum debes referre et uti eo ad gloriam Dei. *Quinto* ducimur ex hoc in cognitionem dignitatis humanae. Deus enim omnia fecit propter hominem, sicut dicitur in Psalm. 8, 8: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus* et homo magis est similis Deo inter creaturas post angelos: unde dicitur Genes. 1, 26. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Hoc quidem non dixit de coelo sive de stellis, sed de homine: non autem quantum ad corpus, sed quantum ad animam, quae est liberam voluntatem habens et incorruptibilis, in quo magis assimilatur Deo quam ceterae creaturae. Debe-

mus ergo considerare hominem post angelos digniorem esse ceteris creaturis, et nullo modo dignitatem nostram diminuere propter peccata, et propter inordinatum appetitum rerum corporalium, quae viliores sunt nobis et ad servitium nostrum factae; sed eo modo debemus nos habere quo Deus fecit nos. Deus enim fecit hominem ut praeesset omnibus, quae sunt in terra, et ut subsit Deo. Debemus ergo dominari et praeesse rebus; Deo autem subesse, obedire ac servire et ex hoc perveniemus in fruitionem Dei, quod nobis praestare [1]) etc.

ARTICULUS II.

Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum.

VIII. Jesus Christus verus est Dei Filius.

Non solum est necesse christianis unum Deum credere, et hunc esse creatorem coeli et terrae et omnium; sed etiam necesse est, ut credant quod Deus est Pater, et quod Christus sit verus Filius Dei. Hoc autem, sicut dicit beatus Petrus in Canonica sua 2. cap. 1. non est fabulosum, sed certum et probatum per verbum Dei in monte: unde

---

1) *Supple* dignetur, *vel quid simile.*

dicit ibidem v. 16: *Non enim doctas fabulas secuti, notam facimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem, et praesentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.* Ipse etiam Christus Jesus in pluribus locis vocat Deum Patrem suum, et se dicit Filium Dei: et apostoli, et sancti patres posuerunt inter articulos fidei, quod Christus est Filius Dei, dicentes: *Et in Jesum Christum Filium ejus*, scilicet Dei: supple, credo.

IX. Haereses adversus secundum symboli articulum.

Sed aliqui haeretici fuerunt qui hoc perverse crediderunt. Photinus enim dicit, quod Christus non est aliter Filius Dei quam boni viri, qui bene vivendo merentur dici filii Dei per adoptionem, faciendo Dei voluntatem; et ita Christus, qui bene vixit et fecit Dei voluntatem, meruit dici filius Dei: et voluit quod Christus non fuerit ante beatam Virginem, sed tunc incepit, quando ex ea con-

ceptus est. Et sic in duobus erravit. Primo in hoc, quod non dixit eum verum Filium Dei secundum naturam; secundo, quod dixit, eum secundum totum suum esse ex tempore incepisse; cum fides nostra teneat quod Filius sit Dei per naturam, et quod ab aeterno sit: et de his habemus expressas auctoritates contra eum in sacra Scriptura. Nam contra primum dicitur, quod sit non Filius solum, sed etiam unigenitus. Joan. 1, 18. *Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Contra secundum: Joan. 8, 58. *Antequam Abraham fieret, ego sum.* Constat autem quod Abraham ante beatam Virginem fuit: et ideo sancti patres addiderunt in alio symbolo contra primum, *Filium Dei unigenitum*; contra secundum, *Et ex Patre natum ante omnia secula.* Sabellius vero licet diceret, quod Christus fuit ante beatam Virginem, dixit tamen, quod non est alia persona Patris, alia Filii, sed ipse Pater est incarnatus; et ideo eadem est persona Patris et Filii. Sed hoc est erroneum, quia aufert trinitatem personarum: et contra hoc est auctoritas: *Solus non sum, sed ego et qui misit me, Pater* (Joan. 8, 16). Constat autem nullum a se mitti. Sic ergo mentitur Sabellius: et ideo in symbolo patrum additur: *Deum*

de Deo, lumen de lumine; idest, Deum Filium de Deo Patre, et Filium qui est lumen, de lumine Patre esse, credere debemus. Arius autem licet diceret, quod Christus fuerit ante beatam Virginem, et quod alia fuerit persona Patris, alia Filii, tamen tria attribuit Christo. Primum est, quod Filius Dei fuit creatura; secundum est, quod non ab aeterno, sed ex tempore factus sit a Deo nobilissima creaturarum; tertium est quod non fuerit unius naturae Deus Filius cum Deo Patre, et sic quod non fuerit verus Deus. Sed hoc similiter est erroneum, et contra auctoritates sacrae Scripturae: dicitur enim: *Ego, et Pater unum sumus* (Joan. 10, 30), scilicet in natura: et ideo sicut Pater fuit semper, ita et Filius, et sicut Pater est verus Deus, ita et Filius. Ubi ergo dicitur ab Ario, Christum fuisse creaturam, e contra dicitur in symbolo a patribus, *Deum verum de Deo vero*: ubi autem dicitur, eum non fuisse ab aeterno, sed ex tempore, e contra in symbolo dicitur, *Genitum, non factum*: contra illud vero quod dicitur, eum non esse ejusdem substantiae cum Patre, additur in symbolo, *Consubstantialem Patri.* Patet ergo quod credere debemus, quod Christus Unigenitus Dei est, et vere Filius Dei, et quod semper

fuerit cum Patre, et quod alia est persona Filii, alia Patris, et quod unius est naturae cum Patre. Sed hoc credimus hic per fidem, cognoscemus autem in vita aeterna per perfectam visionem: et ideo ad consolationem nostram dicemus aliquid de his.

X. Illustratur similitudine generatio Verbi.

Sciendum est igitur, quod diversa diversum modum generationis habent. Generatio autem Dei alia est, quam generatio aliarum rerum: unde non possumus attingere ad generationem Dei, nisi per generationem ejus, quod in creaturis magis accedit ad similitudinem Dei. Nihil est autem Deo ita simile sicut anima hominis, ut dictum est. Modus autem generationis in anima est, quia homo cogitat per animam suam aliquid, quod vocatur conceptio intellectus; et hujusmodi conceptio oritur ex anima, sicut ex patre, et vocatur verbum intellectus sive hominis. Anima igitur cogitando generat verbum suum. Sic et Filius Dei nihil est aliud quam Verbum Dei, non sicut verbum exterius prolatum, quia illud transit, sed sicut verbum interius conceptum: et ideo ipsum Verbum Dei est unius naturae cum Deo et aequale

Deo. Unde et beatus Joannes de Verbo Dei loquens, tres haereses destruxit. Primo haeresim Photini, quae tacta est cum dicit (cap. 1, 1), *In principio erat Verbum;* secundo Sabellii, cum dicit, *Et Verbum erat apud Deum*; tertio Arii, cum dicit, *Et Deus erat Verbum.* Verbum autem aliter est in nobis, et aliter in Deo. In nobis enim verbum nostrum est accidens; sed in Deo Verbum Dei est idem quod ipse Deus, cum nihil sit in Deo, quod non sit essentia Dei. Nullus autem potest dicere, quod Deus non habeat Verbum, quia contingeret Deum esse insipientissimum: et ideo sicut fuit semper Deus, ita et Verbum ejus. Sicut autem artifex facit omnia per formam, quam praecogitavit in corde suo, quod est verbum ejus; ita et Deus omnia facit Verbo suo, sicut per artem suam. Joan. 1, 3. *Omnia per ipsum facta sunt.*

IX. Fructus colligendi ex secundo symboli articulo.

Si ergo Verbum Dei est Filius Dei, et omnia Dei verba sunt similitudo quaedam istius Verbi; debemus *primo* libenter audire verba Dei: hoc est enim signum quod diligamus Deum, si verba illius libenter audimus.

Secundo debemus credere verbis Dei, quia ex hoc Verbum Dei habitat in nobis, id est Christus, qui est Verbum Dei. Apostolus Ephes. 3, 17: *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Joan. 5, 38. *Verbum Dei non habetis in vobis manens. Tertio* oportet quod verbum Dei in nobis manens continue meditemur; quia non solum oportet credere, sed meditari; aliter non prodesset: et hujusmodi meditatio valet multum contra peccatum: Psalm. 118, 11. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi:* et iterum de viro justo dicitur Psalm. 1, 2. *In lege ejus meditabitur die ac nocte.* Unde de beata Virgine dicitur Luc. 2, 51. quod *conservabat omnia verba haec conferens in corde suo. Quarto* oportet quod homo verbum Dei communicet aliis, commonendo, praedicando et inflammando. Apostolus: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad aedificationem* (Ephes. 4, 29). Idem Colos. 3, 16: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, et commonentes vosmetipsos.* Idem: *Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (2. Tim. 4, 2). *Ultimo* verbum Dei debet exsecutioni mandari. Jac. 1, 22.

Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Ista quinque servavit per ordinem beata Maria in generatione Verbi Dei ex se. Primo enim audivit Luc. 2, 35: *Spiritus sanctus superveniet in te*; secundo consensit per fidem ibid. 38. *Ecce ancilla Domini:* tertio tenuit et portavit in utero; quarto protulit et peperit eum; quinto nutrivit et lactavit eum: unde Ecclesia cantat: *Ipsum regem angelorum sola Virgo lactabat ubere de coelo pleno.*

ARTICULUS III.

Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.

XII. Incarnatio Verbi similitudine illustratur.

Non solum est necessarium credere christiano Filium Dei, ut ostensum est, sed etiam oportet credere incarnationem ejus. Et ideo beatus Joannes postquam dixerat multa subtilia et ardua, consequenter insinuat nobis ejus incarnationem, cum dicit Joan. 1, 14. *Et Verbum caro factum est.* Et ut de hoc aliquid capere possimus, duo exempla ponam in medium. Constat quod Filio Dei nihil est ita simile, sicut verbum in corde nostro con-

ceptum, non prolatum. Nullus autem cognoscit verbum dum est in corde hominis, nisi ille qui concipit; sed tunc primo cognoscitur cum profertur. Sic Verbum Dei dum erat in corde Patris, non cognoscebatur nisi a Patre tantum; sed carne indutum, sicut verbum voce, tunc primo manifestatum, et cognitum est. Baruch 3, 38. *Post hoc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Aliud exemplum est, quia licet verbum prolatum cognoscatur per auditum, tamen non videtur, nec tangitur; sed cum scribitur in charta, tunc videtur et tangitur. Sic et Verbum Dei et visibile et tangibile factum est, cum in carne nostra fuit quasi scriptum: et sicut charta in qua verbum regis scriptum est, dicitur verbum regis, ita homo cui conjunctum est Verbum Dei in una hypostasi, dicitur Filius Dei. Jsa. 8, 1. *Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stilo hominis*: et ideo sancti apostoli dixerunt: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.*

XIII. Haereses contra dogma de incarnatione.

In quo quidem multi erraverunt: unde et sancti patres in alio symbolo in synodo

nicaena multa addiderunt, per quae nunc omnes errores destruuntur. Origenes enim dixit, quod Christus est natus et etiam venit in mundum, ut etiam salvaret daemones: unde dixit daemones omnes esse salvandos in fine mundi. Sed hoc est contra sacram Scripturam: dicit enim: *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (Matth. 25, 41); et ideo ad hoc removendum additur: *Qui propter nos homines* (non propter daemones) *et propter nostram salutem:* in quo quidem magis apparet amor Dei ad nos. Photinus vero voluit quod Christus natus esset de beata Virgine; sed addidit quod esset purus homo, qui bene vivendo et faciendo voluntatem Dei, meruit filius Dei fieri, sicut et alii sancti; contra quod dicitur Joan. 6, 38: *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Constat autem quod non descendisset nisi ibi fuisset; et si fuisset purus homo, non fuisset in coelo: et ideo ad hoc removendum additur: *Descendit de coelis.* Manichaeus vero dixit, quod licet Filius Dei fuerit semper, et descenderit de coelo, tamen non habuit veram carnem, sed apparentem. Sed hoc est falsum: non enim decebat doctorem

veritatis aliquam falsitatem habere: et ideo sicut ostendit veram carnem, sic habuit: unde dixit Luc. 24, 39. *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere*: et ideo ad hoc removendum addiderunt: *Et incarnatus est.* Ebion vero, qui fuit genere judaeus, dixit quod Christus natus est de beata Virgine, sed ex commixtione viri et ex virili semine. Sed hoc est falsum, quia angelus dixit Matth. 1, 20. *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*: et ideo sancti patres ad hoc removendum addiderunt: *De Spiritu sancto.* Valentinus autem licet confiteretur quod Christus conceptus fuerit de Spiritu sancto, voluit tamen quod Spiritus sanctus portaverit unum corpus coeleste, et posuerit in beata Virgine, et hoc fuit corpus Christi: unde nihil aliud operata est beata Virgo, nisi quod fuit locus ejus: unde dixit quod illud corpus transivit per beatam Virginem sicut per aquaeductum. Sed hoc est falsum, nam angelus dixit ei Luc. 1, 35. *Quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei*: et Apostolus Galat. 4, 4. *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Et ideo addiderunt: *Natus ex Maria Virgine.* Arius vero et Apol-

linarius dixerunt, quod licet Christus fuerit Verbum Dei, et natus ex Maria Virgine, tamen non habuit animam, sed loco animae fuit ibi divinitas. Sed hoc est contra Scripturam, quia Christus dixit Joan. 12, 27. *Nunc anima mea turbata est*: et iterum Matth. 26, 38. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et ideo sancti patres ad hoc removendum addiderunt: *Et homo factus est.* Homo enim ex anima et corpore consistit: unde verissime habuit omnia, quae homo habere potest, praeter peccatum. In hoc autem quod dicitur homo factus, destruuntur omnes errores superius positi, et omnes alii qui dici possent, et praecipue error Eutichetis, qui dixit commixtionem factam, scilicet ex divina natura et humana factam unam naturam Christi, quae nec Deus pure est, nec purus homo. Sed hoc est falsum, quia tunc non esset homo; et est etiam contra hoc quod dicitur, quod *homo factus est.* Destruitur etiam error Nestorii, qui dixit Filium Dei unitum esse homini solum per inhabitationem. Sed hoc est falsum, quia tunc non esset homo, sed in homine: et quod sit homo, patet per Apostolum Philip. 2, 7. *Et habitu inventus ut homo.* Joan. 8, 40, *Quid quaeritis me interficere, hominem, qui*

veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo?

XIV. Incarnationis fructus.

Possumus autem sumere ex his aliqua ad eruditionem. *Primo* enim confirmatur fides nostra. Si enim aliquis diceret aliqua de aliqua terra remota, et ipse non fuisset ibi, non crederetur ei sicut si ibi fuisset. Antequam ergo veniret Christus in mundum, patriarchae et prophetae et Joannes Baptista dixerunt aliqua de Deo; sed tamen non ita crediderunt eis homines, sicut Christo, qui fuit cum Deo, imo unum cum ipso: unde multum firma est fides nostra ab ipso Christo nobis tradita. Joan. 1, 18. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et inde est quod multa fidei secreta sunt manifesta nobis post adventum Christi, quae ante occulta erant. *Secundo* ex iis elevatur spes nostra. Constat enim quod Dei Filius non pro parvo ad nos venit, sumens carnem nostram, sed pro magna utilitate nostra: unde fecit quoddam commercium, scilicet quod assumpsit corpus animatum, et de Virgine nasci dignatus est, ut nobis largiretur suam deitatem; et sic factus est homo, ut homi-

nem faceret Deum. Roman. 5. 2. *Per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. Tertio* ex hoc accenditur caritas. Nullum enim est tam evidens divinae caritatis indicium, quam quod Deus creator omnium factus est creatura, Dominus noster factus est frater noster, Filius Dei factus est filius hominis. Joan. 3, 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et ideo ex hujus consideratione amor reaccendi debet, et inflammari ad Deum. *Quarto* inducimur ad servandam puram animam nostram. In tantum enim natura nostra fuit nobilitata, et exaltata ex conjunctione ad Deum, quod fuit ad consortium divinae personae suscepta: unde angelus post incarnationem noluit sustinere, quod beatus Joannes adoraret eum, quod ante sustinuerat etiam a maximis patriarchis. Ideo homo hujus exaltationem recolens et attendens, debet dedignari vilificare se et naturam suam per peccatum: ideo dicit beatus Petrus: II. Petri 1, 4. *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamur divinae consortes naturae, fugientes ejus quae in mundo est, concupiscentiae corruptionem. Quinto* ex his inflam-

matur desiderium nostrum ad perveniendum ad Christum. Si enim aliquis rex esset frater alicujus, et esset remotus ab eo, desideraret ille, cujus frater esset rex, ad eum venire, et apud eum esse et manere: unde cum Christus sit frater noster, debemus desiderare esse cum eo et conjungi ei. Matth. 24, 28. *Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae*: et Apostolus desiderium habebat dissolvi, et esse cum Christo: quod quidem desiderium crescit in nobis considerando incarnationem ejus.

ARTICULUS IV.

Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus.

XV. Christus mortuus est secundum humanam non secundum divinam naturam.

Sicut necessarium est christiano, quod credat incarnationem Filii Dei, ita necessarium est, quod credat passionem ejus et mortem: quia, sicut dicit Gregorius, nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset. Hoc autem, scilicet quod Christus pro nobis est mortuus, ita est arduum, quod vix potest intellectus noster capere; imo nullo modo cadit in intellectum nostrum. Et hoc est quod

dicit Apostolus; Act. 13, 41. *Opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis*: et Habac. 1, 5. *Opus factum est in diebus vestris quod nemo credet cum narrabitur*. Tanta est enim gratia Dei et amor ad nos, quod plus ipse fecit nobis quam possumus intelligere. Non tamen debemus credere, quod Christus ita sustinuerit mortem, quod deitas mortua sit, sed quod humana natura in ipso mortua sit. Non enim mortuus est secundum quod Deus erat, sed secundum quod homo: et hoc patet per tria exempla. Unum est in nobis. Constat enim quod cum homo moritur, in separatione animae a corpore non moritur anima, sed ipsum corpus, seu caro. Sic et in morte Christi non est mortua divinitas, sed natura humana. Sed si judaei non occiderunt divinitatem, videtur quod non magis peccaverunt quam si occidissent unum alium hominem. Ad hoc est dicendum, quod dato quod rex esset indutus una veste, si quis inquinaret vestem illam, tamen reatum incurreret ac si ipsum regem inquinasset. Ideo judaei licet non possent Deum interficere, tamen humanam naturam a Christo assumptam occidentes, sunt tantum puniti ac si ipsam divinitatem occidissent. Item, sicut dictum est

superius, Filius Dei est Verbum Dei, et Verbum Dei incarnatum est, sicut verbum regis scriptum in charta. Si igitur aliquis dilaniaret chartam regis, pro tanto habetur ac si dilaniaret verbum regis. Et ideo tanto habetur peccatum judaeorum ac si occidissent Verbum Dei.

XVI. Mala quae per peccatum incurrimus et quae Christus passione sua delevit.

Sed quae necessitas ut Verbum Dei pateretur pro nobis? Magna: et potest colligi duplex necessitas. Una est ad remedium contra peccata, alia est ad exemplum quantum ad agenda. Ad remedium quidem, quia contra omnia mala, quae incurrimus per peccatum, invenimus remedium per passionem Christi. Incurrimus autem quinque mala. *Primo* maculam: homo enim cum peccat, deturpat animam suam: quia sicut virtus animae est pulchritudo ejus, ita peccatum est macula ejus. Baruch 3, 10. *Quid est, Israel, quod in terra inimicorum es . . . coinquinatus es cum mortuis?* Sed hoc removet passio Christi: nam Christus sua passione fecit balneum in sanguine suo, quo peccatores lavaret. Apoc. 1, 5. *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Lavatur

autem anima sanguine Christi in baptismo, quia ex Christi sanguine virtutem habet regenerativam: et ideo cum aliquis se inquinat per peccatum, facit Christo injuriam, et magis peccat quam ante. Hebr. 10, 28. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit? Secundo* incurrimus offensam Dei: Nam sicut carnalis diligit carnalem pulchritudinem, ita Deus spiritualem, quae est pulchritudo animae. Quando ergo anima per peccatum inquinatur, Deus offenditur, et odio habet peccatorem. Sapient. 14, 9. *Odio sunt Deo impius, et impietas ejus.* Sed Christi passio hoc removet, qui Deo Patri satisfecit pro peccato, pro quo ipse homo satisfacere non poterat; cujus caritas fuit major, et obedientia quam peccatum primi hominis et praevaricatio. Rom. 5, 10. *Cum inimici essemus Deo, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus. Tertio* incurrimus infirmitatem. Nam homo semel peccando credit postmodum a peccato posse continere; sed totum contrarium accidit: quia per primum peccatum debilitatur, et fit pronior ad pec-

candum, et peccatum magis dominatur homini, et homo, quantum de se est, ponit se in tali statu, ut non surgat, sicut qui in puteum se projicit, nisi ex divina virtute. Unde postquam homo peccavit, natura nostra fuit debilitata et corrupta: et tunc homo fuit pronior ad peccandum. Sed Christus hanc infirmitatem et debilitatem diminuit, licet non totam deleverit; tamen ita est homo ex Christi passione confortatus, et peccatum debilitatum, quod non tantum dominatur ei; et potest homo conari adjutus gratia Dei, quae confertur in sacramentis, quae ex Christi passione efficaciam habent, ita quod potest resilire a peccatis. Apostolus Rom. 6, 6: *Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Nam ante passionem Christi pauci inventi sunt sine peccato mortali viventes; sed post sine peccato mortali multi vixerunt et vivunt. *Quarto* incurrimus reatum poenae: hoc enim exigit justitia Dei, ut quicunque peccat puniatur. Poena autem pensatur ex culpa. Unde cum culpa peccati mortalis sit infinita, utpote contra bonum infinitum, scilicet Deum, cujus praecepta peccator contemnit, poena debita peccato mortali est infinita. Sed Christus per suam passionem abstulit nobis poenam hanc

et sustinuit ipse. 1. Petr. 2, 24. *Peccata nostra* (id est poenam peccati) *pertulit in corpore suo.* Nam passio Christi fuit tantae virtutis, quod sufficit ad expiandum omnia peccata totius mundi, etiam si essent centum millia. Et inde est quod baptizati ab omnibus peccatis lavantur: inde est etiam quod sacerdos peccata dimittit: inde est etiam quod quicunque magis passioni Christi se conformat, majorem consequitur veniam, et plus meretur de gratia. *Quinto* incurrimus exsilium regni. Nam qui offendunt reges, exsulare coguntur a regno: sic et homo propter peccatum expellitur de paradiso. Inde est quod Adam statim post peccatum est ejectus de paradiso, et clausa est janua paradisi. Sed Christus sua passione januam illam aperuit, et ad regnum exsules revocavit. Aperto enim latere Christi, aperta est ianua paradisi, et fuso sanguine ejus, deleta est macula, placatus est Deus, ablata est debilitas, expiata est poena, exsules revocantur ad regnum: et inde est quod statim latroni dicitur Luc. 23, 43. *Hodie mecum eris in paradiso.* Hoc non est dictum olim: non enim dictum fuit alicui, non Adae, non Abrahae, non David: sed hodie, scilicet quando aperta est janua, latro veniam petit,

et invenit. Hebr. 10, 19. *Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi.* Sic ergo patet utilitas ex parte remedii.

XVII. Christus passus est ut exemplum nobis daret.

Sed non minor est utilitas quantum ad exemplum. Nam, sicut dicit beatus Augustinus, passio Christi sufficit ad informandum totaliter vitam nostram. Quicunque enim vult perfecte vivere, nihil aliud faciat nisi quod contemnat quae Christus in cruce contempsit, et appetat quae Christus appetiit. Nullum enim exemplum virtutis abest a cruce. Si enim quaeras exemplum caritatis, *majorem caritatem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: Joan. 15, 1. et hoc in cruce fecit Christus. Et ideo si pro nobis animam suam dedit, non debet nobis esse grave quaecunque mala sustinere pro ipso. Psalm. 115, 3. *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi?* Si quaeris exemplum patientiae, excellentissima in cruce invenitur. Patientia enim ex duobus magna ostenditur: aut cum quis magna patienter suffert; aut cum ea suffert quae vitare posset, et non vitat. Christus autem magna in cruce pertulit: Thren.

1, 12. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus:* et patienter, quia *cum pateretur, non comminabatur:* I. Petr. 11, 23. et Jsai. 53, 7. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Item vitare potuit, et non vitavit: Matth. 26, 53. *An putas quia non possum rogare Patrem meum; et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?* Magna est ergo Christi patientia in cruce. Hebr. 12, 1. *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem confusione contempta.* Si quaeris exemplum humilitatis, respice crucifixum: nam Deus judicari voluit sub Pontio Pilato, et mori. Job. 36, 17. *Causa tua quasi impii judicata est.* Vere impii: quia *morte turpissima condemnemus eum:* Sap. 11, 20. Dominus pro servo, et vita angelorum pro homine mori voluit. Philip. 2, 8. *Factus est obediens usque ad mortem.* Si quaeris exemplum obedientiae, sequere eum qui factus est obediens Patri usque ad mortem. Rom. 5, 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ita per*

unius obedientiam, justi constituentur multi. Si quaeris exemplum contemnendi terrena, sequere eum qui est Rex regum et Dominus dominantium, in quo sunt thesauri sapientiae; in cruce tamen nudatum, illusum, consputum, caesum, spinis coronatum, et felle et aceto potatum, et mortuum. Igitur non afficiaris ad vestes et ad divitias: quia, *diviserunt sibi vestimenta mea*: Psal. 21, 19. non ad honores, quia ego ludibria et verbera expertus sum: non ad dignitates, quia plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti meo: non ad delicias, quia *in siti mea potaverunt me aceto*: Psal. 18, 12. Augustinus supra illud Hebr. 12, 1. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta:* dicit: „Omnia bona terrena contempsit homo Christus Jesus, ut contemnenda monstraret."

ARTICULUS V.

Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

XVIII. Rationes quare Christus descenderit ad inferos.

Sicut dictum est, mors Christi fuit in separatione animae a corpore, sicut et aliorum homiuum; sed divinitas ita insolubiliter

juncta fuit homini Christo, quod licet anima et corpus separarentur ab invicem, ipsa tamen deitas perfectissime semper et animae et corpori affuit; et ideo in sepulcro cum corpore fuit Filius Dei, et ad inferos cum anima descendit. Sunt autem quatuor rationes quare Christus cum anima ad infernum descendit. *Prima* ut sustineret totam poenam peccati, ut sic totam culpam expiaret. Poena autem peccati hominis non solum erat mors corporis, sed etiam erat poena in anima: quia etiam peccatum erat quantum ad animam, quia etiam ipsa anima puniebatur quantum ad carentiam visionis divinae: pro qua abolenda nondum satisfactum erat. Et ideo post mortem descendebant omnes, etiam sancti patres, ante Christi adventum ad infernum. Ut ergo Christus sustineret totam poenam peccatoribus debitam, voluit non solum mori, sed etiam secundum animam ad infernum descendere. Unde Psalm. 87, 5. *Aestimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber.* Alii enim erant ibi ut servi, sed Christus ut liber. *Secunda* ratio est, ut perfecte subveniret suis amicis omnibus. Habebat enim amicos suos non solum in mundo, sed etiam in inferno. In hoc

enim sunt aliqui amici Christi in quantum habent caritatem; in inferno autem multi erant qui cum caritate et fide venturi decesserant, sicut Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, David et alii justi et perfecti viri. Et quia Christus suos visitaverat in mundo, et eis subvenerat per mortem suam, voluit etiam visitare suos qui erant in inferno, et subvenire eis descendendo ad eos. Eccli. 24, 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terrae, et inspiciam omnes dormientes et illuminabo omnes sperantes in Domino. Tertia* vero ratio est ut perfecte de diabolo triumpharet. Tunc enim perfecte triumphat aliquis de aliquo, quando non solum vincit eum in campo, sed etiam invadit eum usque in domum propriam, et aufert ei sedem regni et domum suam. Christus autem triumphaverat contra diabolum, et in cruce vicerat eum: unde ait: Joan. 12, 31. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps hujus mundi* (scilicet diabolus) *ejicietur foras.* Et ideo ut perfecte triumpharet, voluit auferre sedem regni sui, et ligare eum in domo sua, quae est infernus. Et ideo descendit illuc, et diripuit omnia sua, et ligavit eum, et abstulit ei praedam suam. Coloss. 2, 15. *Exspolians principatus et potestates, traduxit confidenter*

palam triumphans illos in semetipso. Similiter etiam quia potestatem et possessionem acceperat Christus coeli et terrae, voluit etiam possessionem accipere inferni, ut sic, secundum Apostolum ad Philip. 2, 10. *In nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum.* Marc. ultim. 17. *In nomine meo daemonia ejicient.* *Quarta* ratio et ultima est, ut liberaret sanctos, qui erant in inferno. Christus enim sicut voluit pati mortem, ut liberaret viventes a morte; ita etiam voluit descendere ad infernum, ut liberaret eos qui erant ibi. Zach. 9, 11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Osee 13, 14. *Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, inferne.* Licet enim mortem totaliter destruxerit Christus, infernum tamen non omnino destruxit, sed momordit, quia scilicet non omnes liberavit de inferno, sed illos tantum, qui erant sine peccato mortali, et similiter sine peccato originali, a quo quantum ad personam liberati erant per circumcisionem; vel ante circumcisionem, qui salvati erant in fide parentum fidelium, quantum ad eos qui non habebant usum rationis; vel per sacrificia, et in fide Christi venturi, quantum ad adultos; sed erant ibi

propter peccatum originale Adae, a quo quantum ad naturam non potuerunt liberari nisi per Christum. Et ideo dimisit ibi illos qui descenderunt cum peccato mortali, et incircumcisos parvulos: et ideo dicit: *Ero morsus tuus, inferne.* Sic ergo patet quod Christus descendit ad inferos, et propter quod.

XIX. Quid utilitatis ex descensu Christi capere possimus.

Ex iis ad instructionem nostram possumus accipere quatuor. *Primo* spem firmam de Deo. Nam quantumcunque homo sit in afflictione, semper tamen debet sperare de Dei adjutorio et in eo confidere. Nihil enim ita grave invenitur sicut esse in inferno. Si ergo Christus illos, qui erant in inferno liberavit, multum debet quilibet, si est amicus Dei, confidere, ut liberetur ab eo a quacunque angustia. Sap. 10, 13. *Haec* (scilicet Sapientia) *venditum justum non dereliquit descenditque cum illo in foveam, et in vinculis non dereliquit eum.* Et quia specialiter Deus juvat servos suos, multum debet esse securus ille, qui servit Deo. Eccli. 34, 16. *Qui timet Deum, nihil trepidabit, et non pavebit, quoniam ipse est spes ejus. Se-*

cundo debemus concipere timorem et propellere praesumptionem. Nam licet Christus passus sit pro peccatoribus, et ad infernum descenderit; non tamen liberavit omnes, sed illos tantum, qui sine peccato mortali erant, ut dictum est. Illos vero qui in mortali decesserant, dimisit. Et ideo nullus, qui cum peccato mortali illuc descendit, speret veniam. Sed tantum in inferno erit, quantum sancti patres in paradiso, scilicet in aeternum. Matth. 25, 46. *Ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* *Tertio* debemus habere solicitudinem. Nam Christus descendit ad inferos pro salute nostra, et nos frequenter debemus soliciti esse illuc descendere, considerando scilicet poenas illas, sicut faciebat ille sanctus Ezechias, dicens Jsai. 38, 10. *Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Nam qui ibi frequenter per cogitationem descendit in vita, non descendit de facili in morte: quia hujusmodi consideratio retrahit a peccato. Videmus enim quod homines hujus mundi cavent sibi a maleficiis propter temporalem poenam: quantum ergo magis debent sibi cavere propter poenam inferni, quae major est, et quantum ad diuturnitatem, et quantum ad acerbitatem et quantum

ad multiplicitatem? Eccli. 7, 40. *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis. Quarto* provenit nobis ex hoc exemplum dilectionis. Christus enim descendit ad inferos, ut liberaret suos; et ideo debemus illuc descendere, ut subveniamus nostris. Ipsi enim nihil possunt; et ideo debemus eis subvenire, qui sunt in purgatorio. Nimis esset durus qui non subveniret caro suo, qui esset in carcere terreno: multo ergo magis est durus qui non subvenit amico, qui est in purgatorio: cum nulla sit comparatio poenarum mundi ad illas. Job. 19, 21. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* 2. Machab. 12, 46. *Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Subvenitur autem eis praecipue per tria, sicut dicit Augustinus, scilicet per missas, orationes et eleemosynas. Gregorius addit quartum, scilicet jejunium. Nec est mirum, quia etiam in mundo isto potest amicus satisfacere pro amico. Intelligendum est tamen hoc de illis, qui sunt in purgatorio.

XX. Differentia inter resurrectionem Christi et nostram.

Tertia die resurrexit a mortuis. Duo sunt homini necessaria ad cognoscendum,

scilicet gloria Dei et poena inferni. Nam per gloriam allecti et per poenas territi, cavent sibi homines et retrahuntur a peccatis. Sed haec sunt valde difficilia homini ad cognoscendum. Unde de gloria dicitur: Sapient. 9, 16. *Quae in coelis sunt quis investigabit?* Et hoc quidem difficile est terrenis: quia, ut dicitur Joan. 3, 31. *Qui de terra est, de terra loquitur:* sed non est difficile spiritualibus: quia *qui de coelo venit, super omnes est,* ut dicitur ibidem. Et ideo Deus de coelo descendit et incarnatus est, ut doceret nos coelestia. Erat etiam difficile cognoscere poenas inferni. Sap. 2, 1. *Non est qui agnitus sit reversus ab inferis*: et hoc dicitur in persona impiorum. Et hoc non potest modo dici: quia sicut descendit de coelo, ut doceret coelestia, ita resurrexit ab inferis, ut nos de inferis edoceret. Et ideo necesse est ut credamus, quod non solum homo factus est et mortuus, sed quod resurrexit a mortuis. Et ideo dicitur: *Tertia die resurrexit a mortuis.* Invenimus autem quod multi surrexerunt a mortuis, sicut Lazarus et filius viduae, et filia archisynagogi. Sed resurrectio Christi differt a resurrectione istorum et aliorum in quatuor. *Primo* quantum ad causam resurrectionis: quia alii qui surrexerunt, non

surrexerunt sua virtute, sed vel Christi, vel ad preces alicujus sancti; Christus vero resurrexit propria virtute, quia non solum erat homo, sed etiam Deus, et divinitas Verbi nunquam separata fuit nec ab anima, nec a corpore; et ideo corpus animam et anima corpus, cum voluit, resumpsit. Joan. 10, 18. *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam.* Et licet mortuus fuerit, hoc non fuit ex infirmitate, nec ex necessitate, sed virtute, quia sponte: et hoc patet, quia cum emisit spiritum, clamavit voce magna: quod alii morientes nequeunt, quia ex infirmitate moriuntur. Unde centurio dixit Matth. 27, 54: *Vere Filius Dei erat iste.* Et ideo sicut sua virtute posuit animam suam, ita sua virtute recepit eam: et ideo dicitur, quia *resurrexit*, et non quod fuerit suscitatus, quasi ab alio. Psalm. 3, 6. *Ego dormivi, et soporatus sum, et exsurrexi.* Nec est hoc contrarium ei, quod dicitur Act. 2, 32: *Hunc Jesum resuscitavit Deus:* nam et Pater resuscitavit eum, et Filius: quia eadem est virtus Patris et Filii. *Secundo* differt quantum ad vitam, ad quam resurrexit: quia Christus ad vitam gloriosam et incorruptibilem: Apostolus Rom. 6, 4. *Christus resurrexit a mortuis*

per gloriam Patris: alii vero ad eandem vitam, quam prius habuerant, sicut patet de Lazaro et de aliis. *Tertio* differt quantum ad fructum et efficaciam: quia virtute resurrectionis Christi resurgunt omnes. Matth. 27, 52. *Multa corpora sanctorum quae dormierant, surrexerunt.* Apostolus I. Corinth. 15, 20: *Christus resurrexit a mortuis, primitiae dormientium.* Sed vide quod Christus per passionem pervenit ad gloriam: Luc. 24, 26. *Nonne sic oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* ut doceat nos qualiter ad gloriam pervenire possimus: Act. 14, 21. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Quarto* differt quantum ad tempus: quia resurrectio aliorum differtur usque ad finem mundi, nisi aliquibus ex privilegio ante concedatur, ut beatae Virgini, et ut pie creditur, beato Joanni evangelistae; sed Christus resurrexit tertia die: cujus ratio est, quia resurrectio et mors et nativitas Christi fuit propter nostram salutem; et ideo tunc voluit resurgere, quando salus nostra perficeretur. Unde si statim resurrexisset, non fuisset creditum quod fuisset mortuus: item si multum distulisset, discipuli non remansissent in fide; et sic nulla utilitas fuisset in pas-

sione sua. Psalm. 29, 10. *Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Et ideo die tertia resurrexit, ut crederetur mortuus, et ut discipuli fidem non amitterent.

XXI. Fructus ex Christi resurrectione capiendus.

Possumus autem ex his quatuor ad nostram eruditionem accipere. *Primo* ut studeamus resurgere spiritualiter a morte animae, quam incurrimus per peccatum, ad vitam justitiae, quae habetur per poenitentiam. Apostolus Ephes. 5, 14: *Surge qui dormis, et exsurge a mortuis; et illuminabit te Christus.* Et haec est resurrectio prima. Apocal. 20, 6. *Beatus qui habet partem in resurrectione prima. Secundo* quod non differamus resurgere usque ad mortem, sed cito: quia Christus resurrexit tertia die. Eccli. 5. 8. *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem:* quia non poteris cogitare quae pertinent ad salutem infirmitate gravatus: et quia etiam perdis partem omnium bonorum, quae fiunt in Ecclesia, et multa mala incurris ex perseverantia in peccato. Diabolus etiam quanto diutius possidet, tanto difficilius dimittit, dicit Beda. *Tertio*

ut resurgamus ad vitam incorruptibilem, ut scilicet non iterum moriamur, id est in tali proposito quod ultra non peccemus. Rom. 6, 9. *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur:* et infra 11. *Ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus; sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes. Quarto* ut resurgamus ad vitam novam et gloriosam, ut scilicet vitemus omnia, quae prius fuerant occasiones et causa mortis et peccati. Roman. 6, 4. *Quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus.* Et haec nova vita est vita justititiae, quae innovat animam et perducit ad vitam gloriae. Amen.

ARTICULUS VI.

Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

XXII. Ascensio Christi fuit sublimis.

Post Christi resurrectionem oportet credere ejus ascensionem, qua in coelum ascen-

dit die quadragesima: et ideo dicit: *Ascendit ad coelos.* Circa quod debes notare tria. Primo scilicet quod fuit sublimis, rationalis, et utilis. Sublimis quidem fuit, quia ascendit ad coelos. Et hoc tripliciter exponitur. *Primo* super omnes coelos corporeos. Apostolus Ephes. 4. 10: *Ascendit super omnes coelos.* Et hoc primo incepit in Christo: nam antea corpus terrenum non erat nisi in terra, in tantum ut etiam Adam fuerit in paradiso terrestri. *Secundo* ascendit super omnes coelos spirituales, scilicet naturas spirituales. Ephes. 1, 20. *Constituens Jesum ad dexteram suam in coelestibus super omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; et omnia subjecit sub pedibus ejus. Tertio* ascendit usque ad sedem Patris. Dan. 7, 13. *Ecce cum nubibus coeli quasi Filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit:* et Marc. ult. 19. *Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei.* Non autem accipitur in Deo dextera corporaliter, sed metaphorice: quia in quantum Deus dicitur sedere ad dexteram Patris, id est ad aequalitatem Patris: in quan-

tum homo sedet ad dexteram Patris, idest in potioribus bonis. Hoc autem affectavit diabolus. Jsai. 14, 13. *In coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum: sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Sed non pervenit nisi Christus: ideo dicitur: *Ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris.* Psalm. 109, 1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.*

XXXIII. Exaltatio erat Christo debita.

Secundo Christi ascensio fuit rationalis, quia ad coelos: et hoc propter tria. *Primo* quia coelum debebatur Christo ex sua natura. Naturale enim est, ut unumquodque revertatur unde trahit originem. Principium autem originis Christi est a Deo, qui est super omnia. Joan. 16, 28. *Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.* Joan. 3, 13. *Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis qui est in coelo.* Et licet sancti in coelum ascendant, non tamen sicut Christus: quia Christus sua virtute, sancti vero attracti a Christo. Cant. 1, 3. *Trahe me post te.* Vel potest dici quia nemo ascendit in coelum

nisi Christus: quia sancti non ascendunt nisi in quantum sunt membra Christi, qui est caput Ecclesiae. Matth: 24, 28. *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae. Secundo* debebatur Christo coelum ex sua victoria. Nam Christus est in mundum missus ad pugnandum contra diabolum, et vicit eum; et ideo meruit exaltari super omnia. Apocal. 3, 21. *Ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Tertio* ex sui humilitate. Nulla enim humilitas est ita magna sicut humilitas Christi, qui cum esset Deus, voluit fieri homo, et cum esset Dominus, voluit formam servi accipere, factus obediens usque ad mortem, ut dicitur Phil. 2, 8. et descendit usque ad infernum; et ideo meruit exaltari usque ad coelum ad sedem Dei: nam humilitas via est ad exaltationem: Luc. 14, 11. *Qui se humiliat, exaltabitur:* Ephes. 4, 10: *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes coelos.*

XXIV. Utilitas ascensionis Christi.

Tertio Christi ascensio fuit utilis, et hoc quantum ad tria. *Primo* quantum ad ductum: nam ad hoc ascendit, ut nos duceret [1]): nos

[1]) *Al. additur* sicut resurrexit ut nos resurgere faceret, ita ascendit ut nos duceret.

enim nesciebamus viam, sed ipse ostendit: Mich. 2, 13. *Ascendit iter pandens ante eos:* et ut nos securos redderet de possessione regni coelestis: Joan. 14, 2. *Vado parare vobis locum. Secundo* quantum ad securitatem: ad hoc enim ascendit, ut interpellaret pro nobis. Hebr. 7, 25. *Accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.* 1. Joan. 2, 1. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum. Tertio* ut ad se corda nostra traheret: Matth. 6, 21. *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum:* ut contemnamus temporalia. Apostolus Coloss. 3, 1: *Si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quae sursum sunt sapite, non quae super terram.*

ARTICULUS VII.

Inde venturus est judicare vivos et mortuos.

XXV. Forma judicii universalis.

Ad officium regis, et domini spectat judicare: Proverb. 20, 8. *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Quia ergo Christus ascendit in coelum, et sedet ad dexteram Dei, sicut Dominus

omnium, manifestum est, quod spectat ad eum judicium: et ideo in regula catholicae fidei confitemur, quod *venturus est judicare vivos et mortuos*. Hoc etiam dixerunt angeli Actor. 1, 11: *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.* Sunt autem tria consideranda de hoc judicio. Primum est forma judicii: secundum est quod judicium hoc est timendum; tertium est qualiter praeparemus nos ad hoc judicium. Quoad formam judicii tria concurrunt, scilicet quis sit judex, qui judicandi, et de quibus sit. Christus autem est *judex*. Act. 10, 42. *Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum:* sive accipiamus per mortuos peccatores, et per vivos recte viventes; sive per vivos ad literam illos, qui tunc vivent, et per mortuos omnes, qui mortui sunt. Est autem judex non solum in quantum Deus est, sed etiam in quantum homo: et hoc propter tria. *Primo* quia necessarium est, ut judicandi judicem videant. Divinitas autem est ita delectabilis, quod nullus potest sine gaudio eam videre; et ideo nullus damnatus poterit eam videre: et ideo nullus damnatus poterit eam videre, quia tunc gauderet. Et ideo necesse est, ut appareat in

forma hominis, ut ab omnibus videatur. Joan. 5, 27. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. Secundo* quia ipse meruit hoc officium, secundum quod homo: ipse enim secundum quod homo, fuit injuste judicatus, et ex hoc Deus fecit eum judicem totius mundi. Job 36.17. *Causa tua quasi impii judicata est: causam judiciumque recipies. Tertio* ut cesset desperatio ab hominibus, si ab homine judicantur. Si enim solus Deus judicaret, homines territi desperarent. Luc. 21, 27. *Videbunt Filium hominis venientem in nube. Judicandi* vero sunt omnes qui sunt, fuerunt et erunt. Apostolus 2. Corinth. 5, 10: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Est autem, sicut dicit Gregorius, quadruplex differentia inter judicandos. Aut enim judicandi sunt boni, aut mali. Malorum autem quidam condemnabuntur, sed non judicabuntur, sicut infideles; quorum facta non discutientur, quia *qui non credit jam judicatus est*, ut dicitur Joan. 3, 18. Quidam vero condemnabuntur et judicabuntur, sicut fideles qui decesserunt cum peccato mortali: Apostolus Rom. 6, 23: *Stipendia peccati*

mors: non enim excludentur a judicio propter fidem, quam habuerunt. Bonorum etiam quidam salvabuntur et non judicabuntur, pauperes scilicet spiritu propter Deum; quinimo alios judicabunt: Matth. 19, 28. *Vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel*: quod quidem non solum intelligitur de discipulis, sed etiam de omnibus pauperibus: alias Paulus, qui plus aliis laboravit, non esset de numero illorum: et ideo intelligendum est etiam de omnibus sequentibus apostolos et de apostolicis viris. Ideo Apostolus 1. Corinth. 6, 3: *An nescitis quoniam angelos judicabimus:* Isa. 3, 14. *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, et principibus ejus*. Quidam autem salvabuntur et judicabuntur, scilicet morientes in justitia. Licet enim in justitia decesserint, in occupatione tamen temporalium in aliquo lapsi sunt; et ideo judicabuntur, sed salvabuntur: judicabuntur autem de *omnibus factis* bonis et malis. Eccle. 11, 9. *Ambula in viis cordis tui, et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Eccle. 12, 14. *Cuncta quae fiunt, adducet Deus*

in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum sit. De verbis etiam otiosis: Matth. 12, 36. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* De cogitationibus: Sap. 1, 9. *In cogitationibus impii interrogatio erit.* Et sic patet forma judicii.

XXVI. Quare illud judicium sit timendum.

Est autem judicium illud timendum propter quatuor. *Primo* propter judicis sapientiam: scit enim omnia, et cogitationes et locutiones et operationes: quoniam *omnia nuda et aperta sunt oculis ejus*, ut dicitur Hebr. 4, 13. Proverb. 16, 2. *Omnes viae hominum patent oculis ejus.* Ipse etiam scit verba nostra: Sapient. 1, 10. *Auris zeli audit omnia.* Item cogitationes nostras. Jerem. 17, 9. *Pravum est cor hominis et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominis scrutans corda, et probans renes, qui do unicuique juxta viam suam, et juxta fructum adinventionum suarum.* Ibi erunt testes infallibiles, scilicet propriae hominum conscientiae. Apostolus Rom. 2, 15: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium in die cum*

judicabit Deus occulta hominum. Secundo propter judicis potentiam, quia omnipotens est in se. Jsa. 40, 10. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet.* Item omnipotens est in aliis, quia omnis creatura erit cum eo: Sap. 5. 21. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*: et ideo dicebat: Job. 10, 7. *Cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.* Psal. 138, 8. *Si ascendero in coelum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Tertio* propter judicis inflexibilem justitiam. Nunc enim est tempus misericordiae; sed tempus futurum erit solum tempus justitiae: et ideo nunc est tempus nostrum, sed tunc erit solum tempus Dei. Psalm. 74, 3, *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Proverb. 6, 34. *Zelus et furor viri non parcet in die vindictae, nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Quarto* propter judicis iram. Aliter enim apparebit justis, quia dulcis et delectabilis: Jsa. 33, 10. *Regem in decore videbunt*: aliter malis, quia iratus et crudelis, in tantum ut dicant montibus: *Cadite super nos, et abscondite nos ab ira Agni,* ut dicitur Apoc. 6, 16. Haec autem ira non dicit in Deo commotionem animi, sed effectum irae, poenam

scilicet peccatoribus inflictam, scilicet aeternalem [1]). Origenes: „Quam angustae erunt peccatoribus viae in judicio! Desuper erit judex iratus etc.“

XXVII. Remedia contra timorem judicii.

Contra autem hunc timorem debemus quatuor habere remedia. *Primum* est bona operatio: Apostolus Rom. 13, 3: *Vis non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa. Secundum* est confessio et poenitentia de commissis: in qua tria debent esse, scilicet dolor in cogitatione, pudor in confessione, et acerbitas in satisfactione: quae quidem expiant poenam aeternam. *Tertium* est eleemosyna, quae omnia mundat: Luc. 16, 9. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Quartum* est caritas, scilicet amor Dei et proximi: quae quidem caritas operit multitudinem peccatorum, ut dicitur I. Petr. 4, 8 et Proverb. 10, 12.

---

[1]) *In Lugdunensi editione an. 1562. omittitur haec Origenis sententia.*

ARTICULUS VIII.

Credo in Spiritum sanctum.

XXVIII. Spiritus s. est amor Dei.

Sicut dictum est, Verbum Dei est Filius Dei, sicut verbum hominis est conceptio intellectus. Sed quandoque homo habet verbum mortuum, scilicet quando homo cogitat quae debet facere, sed tamen voluntas faciendi non adest ei; sicut quando homo credit et non operatur, fides ejus dicitur mortua, ut dicitur Jac. 2. Verbum autem Dei est vivum: Heb. 4, 12, *Vivus est sermo Dei:* et ideo necesse est quod Deus habeat secum voluntatem et amorem: unde Augustinus (in lib. de Trin.): „Verbum quod insinuare intendimus, cum amore notitia est.“ Sicut autem Verbum Dei est Filius Dei, ita amor Dei est Spiritus sanctus. Et inde est quod tunc homo habet Spiritum sanctum, quando diligit Deum. Apostolus Rom. 5, 5: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

XXIX. Fides de Spiritu sancto.

Fuerunt autem aliqui qui male sentientes de Spiritu sancto, dixerunt, quod erat creatura, et quod erat minor Patre et Filio, et quod erat servus et minister Dei. Et ideo

sancti ad removendum hos errores addiderunt quinque verba in alio symbolo de Spiritu sancto. *Primum* est, quod licet sint alii spiritus, scilicet angeli, sunt tamen ministri Dei, secundum illud Apostoli Hebr. 1, 14: *Omnes sunt administratorii spiritus*: sed Spiritus sanctus Dominus est: Joan. 4, 24. *Spiritus est Deus:* et Apostolus 2. Corinth. 3, 17: *Dominus autem Spiritus est*: et inde est quod ubi est Spiritus Domini, ibi est libertas, ut dicitur 2. Corinth. 3, 17; cujus ratio est quia facit diligere Deum et aufert amorem mundi; et ideo dicitur: *In Spiritum sanctum Dominum. Secundum* est quia in hoc est vita animae, quod conjungitur Deo, cum ipse Deus sit vita animae, sicut anima vita corporis. Deo autem conjungit Spiritus sanctus per amorem, quia ipse est amor Dei, et ideo vivificat: Joan. 6, 64. *Spiritus est qui vivificat*: unde dicitur: *Et vivificantem. Tertium* est, quod Spiritus sanctus est ejusdem substantiae cum Patre et Filio: quia sicut Filius est Verbum Patris, ita Spiritus sanctus est amor Patris et Filii; et ideo procedit ab utroque: et sicut Verbum Dei est ejusdem substantiae cum Patre, ita et amor cum Patre et Filio. Et ideo dicitur: *Qui ex Patre Filioque procedit.* Unde et per hoc pa-

tet quod non est creatura. *Quartum* est, quod est aequalis Patri et Filio quantum ad cultum. Joan. 4, 23. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate.* Matth. ult. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Et ideo dicitur: *Qui cum Patre et Filio simul adoratur. Quintum,* per quod manifestatur quod sit aequalis Deo, est quia sancti prophetae locuti sunt a Deo. Constat autem quod si Spiritus non esset Deus, non diceretur quod prophetae fuerint locuti ab eo. Sed Petrus dicit epist. 2. cap. 1, 21. quod *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Jsa. 48, 16. *Dominus Deus misit me et Spiritus ejus.* Unde hic dicitur: *Qui locutus est per prophetas.* Per hoc autem destruuntur duo errores, error scilicet manichaeorum, qui dixerunt, quod vetus Testamentum non erat a Deo: quod falsum est, quia per prophetas locutus est Spiritus sanctus. Item error Priscillae et Montani, qui dixerunt, quod prophetae non suntlocuti a Spiritu sancto, sed quasi amentes.

XXX. Fructus quorum auctor est Spiritus sanctus.

Provenit autem nobis multiplex fructus a Spiritu sancto. *Primo* quia purgat a pec-

catis. Cujus ratio est, quia ejusdem est reficere, cujus est constituere. Anima autem creatur per Spiritum sanctum, quia omnia per ipsum facit Deus: Deus enim diligendo suam bonitatem causat omnia. Sapient. 11, 25. *Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti.* Dionysius in 4. cap. de divinis nominibus: „Divinus amor non permisit eum sine germine esse." Oportet ergo quod corda hominum per peccatum destructa reficiantur a Spiritu sancto. Psalm. 103, 30. *Emitte Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terrae.* Nec mirum si Spiritus purgat, quia omnia peccata dimittuntur per amorem: Luc. 7, 47. *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* Proverb. 10, 12. *Universa delicta operit caritas:* item 1. Pet. 4, 8. *Caritas operit multitudinem peccatorum. Secundo* illuminat intellectum, quia omnia quae scimus, a Spiritu sancto scimus. Joan. 14, 26. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecunque dixero vobis.* Item 1. Joan. 2, 27. *Unctio docebit vos de omnibus. Tertio* juvat, et quodammodo cogit servare mandata. Nullus enim posset servare mandata

Dei, nisi amaret Deum: Joan. 14, 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Spiritus autem sanctus facit amare Deum, ideo juvat. Ezech. 36, 26. *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et spiritum meum ponam in medio vestri; et faciam ut in praeceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini.* *Quarto* confirmat spem vitae aeternae, quia est sicut pignus hereditatis illius. Apostolus Ephes. 1, 13: *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae.* Est enim quasi arrha vitae aeternae. Cujus ratio est, quia ex hoc debetur vita aeterna homini, in quantum efficitur filius Dei; et hoc fit per hoc, quod fit similis Christo; assimilatur autem aliquis Christo per hoc, quod habet Spiritum Christi, qui est Spiritus sanctus. Apostolus Rom. 8, 15: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*: et Gal. 4, 6. *Quoniam autem estis filii Dei, misit Deus Spiritum Filii*

sui in corda vestra, clamantem, Abba, pater. *Quinto* consulit in dubiis et docet nos quae sit voluntas Dei. Apoc. 11, 7. *Qui habet aures audiendi, audiat quid Spiritus dicat ecclesiis.* Jsa. 50, 4. *Audiam eum quasi magistrum.*

ARTICULUS IX.

Sanctam Ecclesiam catholicam.

XXXI. Quatuor Ecclesiae dotes. Prima ejus unitas.

Sicut videmus quod in uno homine est una anima et unum corpus, et tamen sunt diversa membra ipsius; ita Eeclesia catholica est unum corpus, et habet diversa membra. Anima autem, quae hoc corpus vivificat est Spiritus sanctus. Et ideo post fidem de Spiritu sancto, jubemur credere sanctam Ecclesiam catholicam: unde additur in symbolo: *Sanctam Ecclesiam catholicam.* Circa quod sciendum est, quod Ecclesia est idem quod congregatio. Unde Ecclesia sancta idem est quod congregatio fidelium, et quilibet christianus est sicut membrum ipsius Ecclesiae, de qua dicitur Eccli. ult. 31. *Appropiate ad me indocti, et congregate vos in domum disciplinae.* Haec autem Ecclesia

sancta habet quatuor conditiones: quia est *una*, quia est *sancta*, quia est *catholica*, id est universalis et quia est fortis et *firma*.

Quantum ad primum sciendum est, quod licet diversi haeretici diversas sectas adinvenerint, non tamen pertinent ad Ecclesiam, quia sunt divisi in partes; sed Ecclesia est una. Cant. 6, 8. *Una est columba mea, perfecta mea.* Causatur autem unitas Ecclesiae ex tribus. *Primo* ex unitate fidei: omnes enim christiani qui sunt de corpore Ecclesiae, idem credunt. 1. Corinth, 1, 10. *Idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata*: et Ephes. 4, 10. *Unus Deus, una fides, unum baptisma. Secundo* ex unitate spei, quia omnes firmati sunt in una spe perveniendi ad vitam aeternam: et ideo dicit Apostolus Ephes. 4, 4. *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Tertio* ex unitate caritatis, quia omnes connectuntur in amore Dei, et ad invicem in amore mutuo. Joan. 17, 22. *Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Manifestatur autem hujusmodi amor si verus est, quando membra pro se invicem sunt solicita, et quando invicem compatiuntur. Ephes. 4, 15. *In caritate crescamus in illo per*

omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus connexum et compactum per omnem juncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate: quia quilibet de gratia sibi collata a Deo debet proximo servire: unde nullus debet contemnere nec pati ab ista Ecclesia abjici et expelli: quia non est nisi una Ecclesia, in qua homines salventur, sicut extra arcam Noe nullus salvari potuit.

XXXII. Ecclesiae sanctitas.

Circa secundum sciendum, quod est etiam alia congregatio, sed malignantium: Psalm. 25, 5. *Odivi ecclesiam malignantium.* Sed haec est mala, Ecclesia vero Christi est sancta: Apostolus 1. Corinth. 3, 17. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*: unde dicitur, *Sanctam Ecclesiam.* Sanctificantur autem fideles hujus congregationis ex tribus. *Primo* quia sicut Ecclesia cum consecratur, materialiter lavatur, ita et fideles loti sunt sanguine Christi: Apocal. 1, 5. *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*: Hebr. 13, 12. *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra por-*

tam passus est. Secundo ex inunctione: quia sicut Ecclesia inungitur, sic et fideles spirituali inunctione unguntur, ut sanctificentur: alias non essent christiani, Christus enim idem est quod unctus. Haec autem unctio est gratia Spiritus sancti. 2. Corinth. 1, 21. *Qui unxit nos, Deus*: et 1. Corinth. 6, 11. *Sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi. Tertio* ex inhabitatione Trinitatis: nam ubicunque Deus inhabitat, locus ille sanctus est: unde Genes. 28, 16. *Vere locus iste sanctus est*: et Psalm. 92, 5. *Domum tuam decet sanctitudo, Domine. Quarto* propter invocationem Dei: Jerem. 14, 9. *Tu autem in nobis es, Domine, et nomen tuum invocatum est super nos.* Cavendum est ergo ne post talem sanctificationem polluamus animam nostram, quae templum Dei est, per peccatum. Apostolus: 1. Corinth. 3, 17. *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

XXXIII. Ecclesia est catholica.

Circa tertium sciendum est, quod Ecclesia est catholica, id est universalis, *primo* quantum ad locum, quia est per totum mundum, contra donatistas: Rom. 1, 8. *Fides vestra annunciatur in universo mundo*:

Marc. ult. 15. *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae.* Unde antiquitus Deus erat notus tantum in Judaea, nunc autem per totum mundum. Habet autem haec Ecclesia tres partes. Una est in terra, alia est in coelo, tertia est in purgatorio. *Secundo* est universalis quantum ad conditionem hominum, quia nullus abjicitur, nec dominus, nec servus, nec masculus nec femina: Gal. 3, 28. *Non est masculus neque femina. Tertio* est universalis quantum ad tempus. Nam aliqui dixerunt, quod Ecclesia debet durare usque ad certum tempus. Sed hoc est falsum, quia haec Ecclesia incepit a tempore Abel, et durabit usque ad finem seculi: Matth. 28, 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*: sed post consummationem seculi remanebit in coelo.

XXXIV. Ecclesia est firma.

Circa quartum sciendum est, quod Ecclesia est firma. Domus autem dicitur firma, *primo* si habet bona fundamenta. Fundamentum autem Ecclesiae principale est Christus: Apostolus I. Corinth. 3, 2. *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Je-*

sus. Secundarium vero fundamentum sunt apostoli et eorum doctrina; et ideo firma est: unde in Apoc. 21, 12 dicitur, quod civitas habebat duodecim fundamenta, et erant ibi scripta nomina duodecim apostolorum. Et inde est quod dicitur Ecclesia apostolica. Exinde etiam est quod ad significandum firmitatem hujus Ecclesiae b. Petrus dictus est vertex. *Secnndo* apparet firmitas domus, si conquassata non potest destrui. Ecclesia autem nunquam potuit destrui, nec a persecutoribus; imo persecutionibus durantibus magis crevit, et qui eam persequebantur et quos ipsa persequebatur, deficiebant. Matth. 21, 44. *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum*: nec ab erroribus; imo quanto magis errores supervenerunt, tanto magis veritas manifestata est. 2. Tim. 3, 8. *Homines mente corrupti, reprobi circa fidem; sed ultra non proficient*: nec a tentationibus daemonum: Ecclesia enim est sicut turris, ad quam fugit quicunque pugnat contra diabolum: Proverb. 18, 10. *Turris fortissima nomen Domini.* Et ideo diabolus principaliter conatur ad destructionem ejus; sed non praevalet, quia Dominus dixit: Matth. 16, 18. *Et portae inferi non praevalebunt*

adversus eam; quasi dicat: Bellabunt adversum te, sed non praevalebunt. Et inde est quod sola Ecclesia Petri (in cujus partem venit tota Italia, dum discipuli mitterentur ad praedicandum) semper fuit firma in fide: et cum in aliis partibus vel nulla fides sit, vel sit commixta multis erroribus, Ecclesia tamen Petri et fide viget, et ab erroribus munda est. Nec mirum, quia Dominus dixit Petro Luc. 22, 32. *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.*

ARTICULUS X.

Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.

XXXV. De communione bonorum in Ecclesia. De septem sacramentis.

Sicut in corpore naturali operatio unius membri cedit in bonum totius corporis, ita in corpore spirituali, scilicet Ecclesia. Et quia omnes fideles sunt unum corpus, bonum unius alteri communicatur. Apostolus Rom. 12, 5. *Singuli autem alter alterius membra.* Unde et inter alia credenda, quae tradiderunt apostoli, est quod communio bonorum sit in Ecclesia; et hoc est quod dicitur, *Sanctorum communionem.* Inter alia vero membra Ecclesiae, principale membrum est Chri-

stus, quia est caput. Ephes. 1, 22. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius.* Bonum ergo Christi communicatur omnibus christianis, sicut virtus capitis omnibus membris: et haec communicatio fit per sacramenta Ecclesiae, in quibus operatur virtus passionis Christi, quae operatur ad conferendam gratiam in remissionem peccatorum. Hujusmodi autem sacramenta Ecclesiae sunt septem. *Primum* est baptismus, qui est regeneratio quaedam spiritualis. Sicut enim vita carnalis non potest haberi nisi homo carnaliter nascatur; ita vita spiritualis vel gratiae non potest haberi, nisi homo renascatur spiritualiter. Haec autem generatio fit per baptismum: Joan. 3, 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regum Dei.* Et est sciendum, quod sicut homo non nascitur nisi semel, sic et semel tantum baptizatur: unde et sancti addiderunt: *Confiteor unum baptisma.* Virtus autem baptismi est quod purgat ab omnibus peccatis et quantum ad culpam et quantum ad poenam: et inde est, quod nulla poenitentia imponitur baptizatis, quantumcunque fuerint peccatores; et si statim moriantur post baptismum, immediate evolant in vitam

aeternam. Inde est etiam quod licet soli sacerdotes ex officio baptizent, ex necessitate tamen cuilibet licet baptizare, servata tamen forma baptisimi, quae est: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Sumit autem hoc sacramentum virtutem a passione Christi: Rom. 6, 3. *Quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Et inde est, quod sicut Christus fuit tribus diebus in sepulcro, ita fit trina immersio in aqua. *Secundum* sacramentum est confirmatio. Sicut enim in illis qui corporaliter nascuntur, necessariae sunt vires ad operandum; ita spiritualiter renatis necessarium est robur Spiritus sancti. Unde et apostoli ad hoc quod essent fortes, receperunt Spiritum sanctum post ascensionem Christi Luc. 24, 49. *Vos autem sedete in civitate, quousque induamini virtute ex alto.* Hoc autem robur confertur in sacramento confirmationis: et ideo illi qui habent curam puerorum, debent multum esse soliciti quod confirmentur, quia in confirmatione confertur magna gratia. Et si decedat, majorem habet gloriam confirmatus quam non confirmatus, quia hic habuit plus de gratia. *Tertium* sacramentum est eucharistia. Sicut enim in vita corporali, postquam homo na-

tus est et vires sumpsit, necessarius est ei cibus, ut conservetur et sustentetur; ita in vita spirituali post habitum robur necessarius est ei cibus spiritualis, qui est corpus Christi. Joan. 6, 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et ideo secundum ordinationem Ecclesiae quilibet christianus semel in anno debet recipere corpus Christi, digne tamen et munde: quia, ut dicitur 1. Corinth. 11, 29. *Qui manducat et bibit indigne,* scilicet cum conscientia peccati mortalis, de quo non est confessus, vel non proponit abstinere, *judicium sibi manducat et bibit. Quartum* sacramentum est poenitentia. Contingit enim in vita corporali quod quandoque quis infirmatur, et nisi habeat medicinam, moritur; et ita in vita spirituali quis infirmatur per peccatum: unde necessaria est medicina ad recuperandam sanitatem; et haec est gratia, quae confertur in poenitentiae sacramento. Psalm. 102, 3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* In poenitentia autem tria debent esse: contritio, quae est dolor de peccato cum proposito abstinendi; confessio peccatorum cum integritate; et satisfactio quae

est per bona opera. *Quintum* sacramentum est extrema unctio. In hac enim vita sunt multa quae impediunt, propter quae homo non potest perfecte consequi purgationem a peccatis. Et quia nullus potest intrare vitam aeternam nisi sit bene purgatus, necessarium fuit aliud sacramentum, quo homo purgaretur a peccatis et liberaretur ab infirmitate et praepararetur ad introitum regni coelestis; et hoc est sacramentum extremae unctionis. Sed quod non semper curet corporaliter, hoc est quia forte vivere non expedit saluti animae. Jac. 5. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus; et si in peccatis sit, remittentur ei.* Sic ergo patet quod per quinque sacramenta quae praedicta sunt, habetur perfectio vitae. Sed quia necessarium est quod hujusmodi sacramenta conferantur per determinatos ministros, ideo fuit necessarium sacramentum ordinis, cujus ministerio hujusmodi sacramenta dispensarentur. Nec est attendenda ad hoc eorum vita, si aliquando ad mala declinant; sed virtus Christi, per quam ipsa sacramenta efficaciam habent, quorum ipsi dispensatores

sunt. Apostolus: 1. Corinth. 4, 1: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*: et hoc est *sextum* sacramentum, scilicet ordinis. *Septimum* sacramentum est matrimonium, in quo si munde vivunt homines, salvantur et possunt sine peccato mortali vivere. Et interdum declinant conjugati ad venialia, quando eorum concupiscentia non fertur extra bona matrimonii; et si efferatur extra, tunc declinant ad mortale. Per haec autem septem sacramenta consequimur peccatorum remissionem: et ideo hic statim subditur, *Remissionem peccatorum*. Per hoc etiam datum est apostolis dimittere peccata: et ideo credendum est quod ministri Ecclesiae, ad quos derivata est hujusmodi potestas ab apostolis, et ad apostolos a Christo, in Ecclesia habeant potestatem ligandi atque solvendi; et quod in Ecclesia sit plena potestas dimittendi peccata, sed gradatim, scilicet a Papa in alios praelatos. Sciendum est etiam, quod non solum virtus passionis Christi communicatur nobis, sed etiam meritum vitae Christi; et quidquid boni fecerunt omnes sancti, communicatur in caritate exsistentibus, quia omnes unum sunt: Psal. 118, 63. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Et

inde est, quod qui in caritate vivit, particeps est omnis boni, quod fit in toto mundo; sed tamen specialius illi, pro quibus specialius fit aliquod bonum: nam unus potest satisfacere pro alio, sicut patet in beneficiis, ad quae plures congregationes admittunt aliquos. Sic ergo per hanc communionem consequimur duo: unum scilicet quod meritum Christi communicatur omnibus, aliud quod bonum unius communicatur alteri: unde excommunicati per hoc quod sunt extra Ecclesiam, perdunt partem omnium bonorum quae fiunt; quod est majus damnum, quam damnum alicujus rei temporalis. Est etiam aliud periculum: quia constat quod per hujusmodi suffragia impeditur diabolus, ne possit nos tentare: unde quando quis excluditur ab hujusmodi suffragiis, diabolus facilius vincit eum. Et inde est quod in primitiva Ecclesia, cum aliquis excommunicabatur, statim diabolus vexabat eum corporaliter.

ARTICULUS XI.

Carnis resurrectionem.

XXXVI. Fides et spes resurrectionis ad quatuor est nobis utilis.

Spiritus sanctus non solum sanctificat Ecclesiam quantum ad animam, sed virtute ejus resurgent corpora nostra. Rom. 4, 24.

Qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis: et 1. Corinth. 15, 21. *Quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Et ideo credimus, secundum fidem nostram, resurrectionem mortuorum futuram. Circa quam quatuor consideranda occurrunt. Primum est utilitas quae ex fide resurrectionis provenit; secundum est qualitas resurgentium, quantum ad omnes in generali; tertium quantum ad bonos; quartum quantum ad malos in speciali. Circa primum sciendum, quod ad quatuor est nobis utilis fides et spes resurrectionis. *Primo* ad tollendum tristitias, quas ex mortuis concipimus. Impossibile est enim quod homo non doleat de morte cari sui; sed per hoc quod sperat eum resurrecturum, multum temperatur dolor mortis. 1. Thessal. 4, 12. *Nolumus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent. Secundo* aufert timorem mortis: nam si homo post mortem non speraret aliam vitam meliorem, sine dubio mors esset valde timenda, et potius deberet homo quaecunque mala facere, quam incurrere mortem. Sed quia credimus esse aliam vitam meliorem, ad quam perveniemus post mortem, constat

quod nullus debet mortem timere, nec timore mortis aliqua male facere. Hebr. 2, 14. *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est diabolum; et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti. Tertio* reddit solicitos et studiosos ad bene operandum. Si enim vita hominis esset tantum ista, in qua vivimus, non inesset hominibus magnum studium ad bene operandum: quia quidquid faceret, parvum esset, cum ejus desiderium non sit ad bonum determinatum secundum certum tempus, sed ad aeternitatem. Sed quia credimus, quod per haec quae hic facimus, recipiemus bona aeterna in resurrectione, ideo studemus bona operari. 1. Corinth. 15, 19. *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. Quarto* retrahit a malo. Sicut enim spes praemii allicit ad bonum operandum, ita timor poenae, quam credimus malis reservari, retrahit a malo. Joan. 5. 29. *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.*

XXXVII. Qualeş futuri sint qui resurgent.

Circa secundum sciendum est, quod quantum ad omnes quadruplex conditio atten-

di potest in resurrectione. *Prima* est ad identitatem corporum resurgentium: quia idem corpus, quod nunc est, et quantum ad carnem et quantum ad ossa resurget; licet aliqui dixerint, quod hoc corpus quod nunc corrumpitur, non resurget: quod est contra Apostolum: ait enim 1. Corinth. 15, 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem*: et quia sacra Scriptura dicit, quod virtute Dei idem corpus ad vitam resurget. Job. 19, 26. *Rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum.* *Secunda* conditio erit quantum ad qualitatem, quia corpora resurgentia erunt alterins qualitatis quam nunc sint: quia et quantum ad beatos et quantum ad malos corpora erunt incorruptibila: quia boni erunt semper in gloria, et mali semper in poena eorum. 1. Corinth. 15, 53. *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem.* Et quia corpus erit incorruptibile et immortale, non erit usus ciborum et venereorum: Matth. 22, 30. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut angeli Dei in coelo.* Et hoc est contra judaeos, et saracenos. Job. 7, 10. *Non revertetur ultra in domum suam. Tertia* conditio est quantum ad

integritatem, quia omnes et boni et mali resurgent cum omni integritate, quae ad perfectionem hominis pertinet: non enim erit ibi coecus vel claudus, nec aliquis defectus. Apostolus 1. Corinth. 15, 52. *Mortui resurgent incorrupti*, id est impassibiles quantum ad corruptiones praesentes. *Quarta* conditio est quantum ad aetatem, quia omnes resurgent in aetate perfecta, id est triginta trium vel duorum annorum. Cujus ratio est, quia qui nondum pervenerunt ad hoc, non habent aetatem perfectam, et senes hanc jam amiserunt: et ideo juvenibus et pueris addetur quod deest, senibus vero restituetur. Eph. 4, 13. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.*

XXXVIII. De conditione bonorum et malorum post resurrectionem.

Circa tertium sciendum est, quod quantum ad bonos erit specialis gloria, quia sancti habebunt corpora glorificata: in quibus erit quadruplex conditio. *Prima* est claritas: Matth. 13, 43. *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum. Secunda* est impassibilitas: 1. Corinth. 15, 43. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*: Apoc. 21, 4. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; et mors ultra non erit,*

neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Tertia est agilitas; Sap. 3, 7. *Fulgebunt justi, et sicut scintillae in arundineto discurrent. Quarta* est subtilitas: I. Corinth. 15, 44. *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale:* non quod omnino sit spiritus, sed quia erit totaliter spiritui subjectum. Circa quartum sciendum, quod damnatorum conditio contraria erit conditioni beatorum, quia erit in eis poena aeterna: in qua est quadruplex mala conditio. Nam corpora eorum erunt obscura. Isa. 13, 8. *Facies combustae vultus eorum.* Item passibilia, licet nunquam corrumpantur: quia semper in igne ardebunt, et nunquam consummabuntur: Isa. 66, 24. *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Item erunt gravia: anima enim erit ibi quasi catenata: Psalm. 149, 8. *Ad alligandos reges eorum in compedibus.* Item erunt quodammodo carnalia et anima et corpus. Joel. 1, 17. *Computruerunt jumenta in stercore suo.*

ARTICULUS XII.

Vitam aeternam. Amen.

XXXIX. De beatitudine coelesti.

Convenienter in fine omnium desiderio-

rum nostrorum, scilicet in vita aeterna, finis datur credendis in symbolo, cum dicitur: *Vitam aeternam. Amen*: contra quod dicunt illi, qui ponunt animam interire cum corpore. Si enim hoc esset verum, homo esset ejusdem conditionis cum brutis: et istis convenit illud Psalm. 48, 21. *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*. Anima enim humana assimilatur Deo in immortalitate, ex parte autem sensualitatis assimilatur bestiis. Cum ergo credit quis quod anima moriatur cum corpore, recedit a Dei similitudine et bestiis comparatur: contra quos dicitur Sap. 11, 22. *Neque mercedem speraverunt justitiae, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum: quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum*. Est autem *primo* considerandum in hoc articulo, quae vita sit vita aeterna: circa quod sciendum, quod in vita aeterna primum est quod homo conjungitur Deo. Nam ipse Deus est praemium et finis omnium laborum nostrorum. Gen. 15, 1. *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis*. Consistit autem haec conjunctio in perfecta visione. 1. Corinth. 13, 12. *Vi-*

demus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. *Item* consistit in summa laude. Augustinus (in 22. de Civit. Dei): „Videbimus, amabimus et laudabimus." Isa. 51, 3. *Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.* Item in perfecta satietate desiderii: nam ibi habebit quilibet beatus ultra desiderata et sperata. Cujus ratio est, quia nullus potest in vita ista implere desiderium suum, nec unquam aliquod creatum satiat desiderium hominis: Deus enim solus satiat et infinitum excedit: et inde est quod non quiescit nisi in Deo. Augustinus (in 1. Conf.) „Fecisti nos Domine ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te." Et quia sancti in patria perfecte habebunt Deum, manifestum est quod satiabitur desiderium eorum, et adhuc gloria excedet: et ideo dicit Dominus Matth. 25, 21. *Intra in gaudium Domini tui.* Augustinus: „Totum gaudium non intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium." Psalm. 16, 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua:* et iterum 102, 5. *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Quidquid enim delectabile est, totum est ibi superabundanter. Si enim appetantur delectationes, ibi erit

summa et perfectissima delectatio, quia de summo bono, scilicet Deo. Job. 22, 26. *Tunc super Omnipotentem deliciis afflues.* Psalm. 15, 11. *Delectationes in dextera tua usque in finem.* Item si appetuntur honores, ibi erit omnis honor. Homines praecipue desiderant esse reges, quantum ad laicos, et episcopi, quantum ad clericos: et utrumque erit ibi. Apoc. 5. 10. *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes*: Sap. 5, 5. *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Item si scientia appetitur ibi erit perfectissima: quia omnes naturas rerum, et omnem veritatem et quidquid volemus sciemus et quidquid volemus habere, habebimus ibi cum ipsa vita aeterna. Sap. 7, 11. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Proverb. 10, 24. *Desiderium suum justis dabitur. Tertio* consistit in perfecta securitate: nam in mundo isto, non est perfecta securitas: quia quanto quis habet plura et magis eminet, tanto plura timet et pluribus indiget; sed in vita aeterna nulla est tristitia, nullus labor, nullus timor. Proverb. 1, 33. *Abundantia perfruetur, malorum timore sublato. Quarto* consistit in omnium beatorum jucunda societate, quae societas erit maxime delectabilis: quia quilibet habebit omnia bona cum omnibus beatis: nam

quilibet diliget alium sicut seipsum; et ideo gaudebit de bono alterius sicut de suo. Quo fit ut tantum augeatur laetitia et gaudium unius, quantum est gaudium omnium. Psalm. 86, 7. *Sicut laetantium omnium habitatio est in te.*

XL. De morte aeterna.

Haec autem quae dicta sunt et multa ineffabilia habebunt sancti, qui erunt in patria. Mali vero, qui erunt in morte aeterna, non minus habebunt de dolore et poena, quam boni de gaudio et gloria. Exaggeratur autem poena eorum *primo* ex separatione Dei et omnium bonorum; et haec est poena damni, quae respondet aversioni, quae poena major est quam poena sensus. Matth. 25, 30. *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* In vita enim ista mali habent tenebras interiores, scilicet peccati; sed tunc habebunt etiam exteriores. *Secundo* ex remorsu conscientiae. Psalm. 49, 21. *Arguam te, et statuam contra faciem tuam:* Sap. 5, 3. *Prae angustia spiritus gementes.* Et tamen haec poenitentia et gemitus erit inutilis, quia non propter odium mali, sed propter dolorem poenae. *Tertio* ex immensitate poenae sensibilis, sci-

licet ignis inferni, qui animam et corpus cruciabit; quae est acerbissima poenarum, sicut dicunt sancti: et erunt sicut semper morientes et nunquam mortui, nec morituri: unde dicitur mors aeterna, quia sicut moriens est in acerbitate poenarum, sic et illi qui sunt in inferno. Psalm. 48, 15. *Sicut oves in inferno positi sunt: mors depascet eos.* *Quarto* ex desperatione salutis. Nam si eis daretur spes liberationis a poenis, eorum poena mitigaretur; sed cum subtrahitur eis omnis spes, poena efficitur gravissima. Jsa 66, 24. *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Sic ergo patet differentia inter bene operari et male: quia bona opera ducunt ad vitam, mala autem trahunt ad mortem: et propter hoc homines deberent frequenter reducere haec ad memoriam, quia ex hoc provocarentur ad bonum et retraherentur a malo: unde et signanter in fine omnium ponitur, *Vitam aeternam*, ut semper magis memoriae imprimatur, ad quam vitam nos perducat Dominus Jesus Christus, Deus benedictus in secula seculorum. Amen.

INDEX.

Pag.

Pag.

A. M. D. G.

Opuscula SS. Patrum.

Tomis 1—48 seriei primae continentur:

I. De vita et passione s. Cypriani per Pontium. S. Cypriani libri ad Demetrianum et de unitate Ecclesiae. — Daemon vel invitus testis divinae originis religionis christianae diss. theol. Editio 3. (ven. 30. cr.) — II. Tertulliani, S. Cypriani et S. Thomae Aq. in orationem dominicam commentaria Editio 2. (36 cr.). — III. Libri duo de vocatione omnium gentium; tractatus de humilitate. De arca Noë Ecclesiae typo diss. theolog. (38 cr.). — IV. S. Cypriani libri de mortalitate, de opere et eleemosyna, de patientia. Tertulliani liber de patientia et exhortatio ad martyres. Martyrum sanguis vox veritatis diss. apolog. (36 cr.). — V. S. Ambrosii, s. Cypriani et Tertulliani de poenitentia opuscula (38 cr.). — VI. S. Augustini libri de utilitate credendi, de fide rerum quae non videntur, de fide et symbolo. S. Thomae Aq. in symbolum apost. expositio. Editio 2. (48 cr.). — VII. Vita S. Ambrosii a Paulino ejus notario conscripta. S. Ambrosii, s. Cyrilli Hieros. et Tertulliani opuscula ad Ecclesiae sacramenta pertinentia (36 cr.). — VIII. Vita S. Augustini a Possidio Calamensi episc. conscripta. S. Augustini liber de catechizandis rudibus (38 cr.). — IX. Tertulliani liber de praescriptionibus adversus haereticos. Vincentii Lirinensis commonitorium Editio 2. (54 cr.). — X. S. Optati Afri Milevitani episcopi de schismate Donatistarum libri septem (45 cr.). — XI. S. Eusebii Hieronymi Stridonensis presbyteri epistolae selectae (45 cr.). — XII. SS. Patrum opuscula selecta de gloriosa Dei genitrice Maria (60 cr.). — XIII. Sanctorum Martyrum acta selecta (60 cr.). — XIV. S. Leonis sermones selecti (42 cr.) — XV. M. Minucii Felicis Octavius. S. Joannis Chrysostomi quod Christus sit Deus liber unus (38 cr.). — XVI. S. Augustini enchiridion ad Laurentium et s. Fulgentii de fide

ad Petrum liber (45 cr.). — XVII. Rom. Pontificum epistolae selectae (48 cr.). — XVIII. Rom. Pontificum epistolae selectae (contin.) (48 cr.). — XIX. Tertulliani Apologeticum (45 cr.). — XX. Sancti Gregorii Papae I. cognomento Magni liber regulae pastoralis (54 cr.). — XXI. S. Cypriani epistolae selectae (48 cr.). — XXII. Lactantii liber de mortibus persecutorum et Victoris Vitensis historia de persecutione Vandalica (51 cr.). — XXIII. D. Algeri de sacramentis corporis et sanguinis Dominici libri tres. (75 cr.). — XXIV. S. Prosperi Aquitani carmen de ingratis. Cum indice opusculorum vol. 1—24. (45 cr.). — XXV. S Leonis Magni Rom. Pont. epistolae selectae (60 cr.). — XXVI. S. Leonis Magni Rom. Pont. epistolae selectae cont. (60 cr.). — XXVII. S. Augustini de Ecclesia Christi opuscula selecta (60 cr.). — XXVIII. S. Anselmi Monologium (45 cr.). — XXIX S. Joan. Chrysostomi homiliae quinque de Incomprehensibili, et s. Gregorii Nazianzeni orat. theol. quinque (72 cr.). — XXX. S. Ambrosii Mediolanensis episcopi de fide libri quinque (80 cr.). — XXXI. S. Basilii Caesareae archiepiscopi liber de Spiritu sancto ad Amphilochium Iconii episcopum (36 cr.). — XXXII. Cassiani de incarnatione Christi contra Nestorium libri septem (54 cr.). — XXXIII. Prudentii Apotheosis et Seduli carmen paschale (40 cr.). — XXXIV. Opuscula ad Marialogiam spectantia (72 cr.). — XXXV. S. Augustini et s. Prosperi de gratia opuscula selecta (45 cr.). — XXXVI. S. Augustini et s. Prosperi de gratia opuscula contin. (72 cr.). — XXXVII. SS. Patrum selecta de sacramentis opuscula (54 cr.). — XXXVIII. Guitmundi de corporis et sanguinis Christi veritate libri tres (42 cr.). — XXXIX. SS. Patrum de Eucharistia opuscula selecta contin. (60 cr.). — XL. S. Gregorii Nazianzeni oratio de fuga sua apologetica et s. Joan. Chrysostomi de sacerdotio libri sex (60 cr.). — XLI. S. Joan. Damasceni de fide orthodoxa libri quatuor (90 cr.). — XLII. et XLIII. S. Augustini de ss.

Trinitate libri quindecim (fl. 1.50). — XLIV. S. Athanasii libri duo contra gentes (48 cr.). — XLV. Vita S. Fulgentii et ejus epistolae I—VIII. (57 cr.). — XLVI. S. Fulgentii epistolae IX—XVIII. (72 cr.) — XLVII. S. Bernardi de consideratione libri quinque ad Eugenium III. et tractatus de moribus et officio episcoporum ad Henricum Senonensem archiep. (60 cr.). — XLVIII. Sulpicii Severi opuscula de S. Martino episco Turonensi et S. Eusebii Hieronymi vitae S. Pauli, S. Hilarionis et Malchi monachorum. Cum indice opusculorum vol. 25—48. (75 cr.).

Tomis 1—3 seriei secundae continentur:

I. et II. S. Augustini in Joannis Evangelium tractatus CXXIV. (fl. 2.—) — III. Joannis Cassiani abbatis Massiliensis collationes XXIV. (fl. 1.50).

Hujus collectionis tomus IV. continebit: Sancti Hilarii Pictaviensis episcopi de Trinitate libri XII.

Opera **Rev. P. H. Hurter S. J.** edita ab eadem libraria:

Theologiae dogmaticae compendium

Editio V. 3 voll. 1885. fl. 8.95

Medulla Theologiae dogmaticae

Editio II. 1885. fl. 4.50

Nomenclator literarius

recentioris theologiae catholicae theologos exhibens,

qui inde a concilio Tridentino floruerunt

Aetate, natione, disciplinis distinctos.

3 voll 1871—1886. fl. 28.—